BL
2537
Bd. 8
Heft 3

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00296397 3

L.Gr.H.
M5A65d

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbe

De Graecorum deorum partibus tragicis

scripsit

Ericus Mueller

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

503386
24. 1. 50

Gießen 1910
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

BL
25
R37
Bd. 8
Heft 3

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

begründet von

Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**

herausgegeben von

Richard Wünsch und **Ludwig Deubner**

in Königsberg i. Pr

VIII. Band 3. Heft

Kapitel I ist auch gesondert als Dissertation von Königsberg 1909 unter dem Titel *De Graecorum deorum partibus Aeschyleis* erschienen.

RICARDO WUENSCH

S

Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation

http://www.archive.org/details/religionsgeschic08berluoft

Continentur hoc opusculo

Praefatio . . . . . p. VIII
Cap. I. De Graecorum deorum partibus Aeschyleis . . 1
Cap. II. De Graecorum deorum partibus Sophocleis . . 47
Cap. III. De Graecorum deorum partibus Euripideis . . 62
Conclusio 136
Indices 141

Praefatio

Das Wesen der Tragödie kann nur aus ihrem Werden erkannt werden: (der Forschung) fehlt die wissenschaftliche Basis, wenn sie nicht die Wurzeln freilegt, aus denen einst Gewächse zuerst aufschossen, die niemals die Bestimmtheit in Wesen und Form ihres ersten Wachstums verleugnen können. Hanc sententiam Albrechti Dieterich [1], praeceptoris clarissimi, quem ante nonnullos menses praematura morte abreptum valde lugeo, non modo de quaestionibus ad ipsam tragoediae naturam pertinentibus apte dictam esse, sed etiam ad hoc opusculum aliquatenus quadrare censeo. Nam quoniam ab eo ipso, qui illud statuit, incitatus mihi proposui demonstrare, quomodo in tragoediis Graecorum di adhibeantur quibusque muneribus fungantur, hanc quoque quaestionem tunc optime me esse pertractaturum iudico, si ad ipsa rei primordia penetrare conatus iisque innisus de tragicorum deorum indole usuque disseram. Primum autem caput Aeschyli deis tribuamus, altero Sophocleos, tertio Euripideos perlustremus. Tragicorum vero minorum fragmentis proprias partes non concessi, cum ex iis hac in quaestione nihil discamus praeter pauca illa, quae ad extremum caput alterum adnotavi.

Gratiam autem habeo maximam Ricardo Wuensch, praeceptori Regimontano, quod et in ipso opere conscribendo et in typothetarum erratis emendandis libentissime opera et consilio me adiuvit.

---

[1] *Entstehung der Tragödie*, *Archiv für Religionswissenschaft* XI (1908) 163 sq.

CAPVT I

De Graecorum deorum partibus Aeschyleis

Qui Aeschyli fabulas, quae quidem adhuc exstant, perlustrabit, is in Eumenidibus et in Prometheo Vincto deos inveniet in scenam productos, per quos multa vel potius omnia fiunt, quae aguntur in illis tragoediis. In Eumenidibus enim, quamquam res Delphis et Athenis, in urbibus mortalium, aguntur et de Orestae matricidio fertur iudicium, tamen dei primas partes obtinent, cum Apollo prisca Furiarum iura impugnet, Minerva litem deorum diiudicet. Quo fit, ut novorum deorum, qui, postquam Iuppiter mundi regnum occupavit, Olympum colunt, et Furiarum controversiis multo maius momentum tribuatur quam causae Orestae, qui ipsos deos ad agendum commovet. Ceterorum autem hominum, quos adhibuit Aeschylus, sacerdos Delphica parvi vel potius nullius momenti ad argumentum perficiendum est et Areopagitae omnino *κωφὰ πρόσωπα* sunt, quibus, quae faciant, a Minerva mandatur. Prometheus autem Vinctus propria deorum tragoedia est, in qua, si Ionem exceperis, soli di introducantur atque ipsa Io, quam mortalem esse v. 747 sqq.[1] demonstratur, Inachi filia, Oceani neptis divina quadam natura imbuta et artissime cum dis coniuncta sit.

Sed ut recte intellegamus, quomodo effectum sit, ut ipsi di hac ratione agentes in scenam prodirent, oportet naturae

[1] Tragicorum versus protuli secundum editiones Aeschyleam Henrici Weil (Bibl. Teubn. 1907), Sophocleam Guilelmi Dindorf (Bibl. Teubn. 1899), Euripideam Adolphi Kirchhoff (Berolini 1867).

atque originis meminisse tragoediae. Quam sive cum plerisque e fabulis satyricis derivamus[1], sive, id quod minus probandum mihi videtur, cum Aemilio Reisch[2] ex aliis choris, qui praeter illos satyricos acti sint, constat tragoediam ortam esse e choris, quibus Liber pater celebrabatur, et e dithyrambis, qui in honorem eiusdem dei canebantur. Erat autem tragoedia cultus publici pars Dionysi sacro dicata, nam chorus circa ipsam eius aram saltabat[3], unde apparet non solum spectaculum ad animos delectandos excogitatum fuisse tragoediam sed sacrum ludum, ut ita dicam[4]. Haec indoles luculenter etiam e chori carminibus, quae sunt vetustissima pars totius ludi, cognosci potest, quorum nonnulla sacrorum hymnorum instar potentiam et gloriam deorum praedicant, velut in Sophoclis Antigona illa carmina, quibus Amor (v. 781 sqq.) et Liber (1115 sqq.)[5] celebrantur. Neque apud Euripidem etiam praeter Baccharum v. 64 sqq.[5] talia desunt, exempli causa in Helena v. 1301 sqq. Cereris errores, in Iphigenia Taurica v. 1234 sqq. sacrae fabulae Delphicae a choro canuntur. Ad pietatem autem et religionem etiam multi alii loci carminum choricorum spectant, verbi causa apud Aeschylum Suppl. v. 82—102, apud Sophoclem Oed. tyr. v. 151 sqq., 863 sqq., Ant. 127 sqq., 604 sqq., apud Euripidem Ion. 452 sqq. Aliis locis chorus vel submisse a dis auxilium et tutelam petit (cf. Aeschyl. Suppl. 1 sqq., 77 sqq., 144 sqq.), vel in omnibus rebus deorum voluntati oboedientem se esse eorumque potentiam valde se venerari profitetur, velut Aesch. Prom. 526 sqq. Sane non omnia chori carmina adeo religione imbuta sunt quam quae modo attuli,

[1] U. de Wilamowitz-Moellendorff *Einleitung in die attische Tragödie*, *Berlin* 1907; A. Dieterich *Arch. f. Religionswiss.* XI (1908) 166 sqq.

[2] *Zur Vorgeschichte der attischen Tragoedie*, *Festschrift für Gomperz*, *Wien* 1902 p. 451 sqq.

[3] Wilamowitz l. l. p. 107; Doerpfeld-Reisch *Das griechische Theater*, *Athen* 1896 p. 33 sqq. 367. [4] Cf. etiam A. Dieterich l. l. p. 187 sq.

[5] Etiam sermonem et compositionem hymnorum sacrorum et in hoc carmine observata esse et in carmine Baccharum Euripidis v. 64 sqq. Fridericus Adami demonstravit in dissertatione, quae inscribitur 'de poetis scenicis Graecis hymnorum sacrorum imitatoribus', Annal. Fleckeis. Suppl. XXVI (1901) 215 sqq. Idem p. 244 sq. vidit etiam Aristophanem Ran. 324 sqq. hymnos sacros esse imitatum, licet alia ratione commotum, nempe ea, ut illos in risum verteret.

immo magna parte eorum continentur, quae ipse chorus sentiat, gaudeat aut doleat, speret aut timeat. Prae reliquis apud Euripidem carmina religioni ac pietati dicata rariora sunt, atque in eius tragoediis saepius chorus res non arte cum religione cohaerentes profert, quin etiam interdum deos accusat velut Ion. 503 sqq., 1099 sqq., Troad. 833 sqq., 1060 sqq. Sed plerumque etiam Euripides, etsi ipse vetere religione iam destiterat, in carminibus choricis verecundiam dis debitam servavit.

At si initio tragoedia ludus sacer erat, nihil impediebat, ne etiam di in scenam producerentur, cum in aliis quoque sacris ludis velut in mysteriis deorum personae apparuerint[1]. Sic Ericus Bethe omnino primum histrionem Liberi personam habuisse haud improbabiliter coniecit[2]. Sed etsi quis de hac re dubitet, nemo certe est, qui, cum in sacro ludo Penthei fabula ageretur, etiam ipsum Dionysum introductum esse miretur, quoniam is ipse deus, qui in ludo apparebat, per ludum celebrabatur. Deinde, postquam praeter fabulas Dionysiacas etiam alia argumenta tragoediae assumpserunt, alii quoque dei adhiberi potuerunt, atque eo splendor et sanctitas ludorum aliquanto aucta sunt. Et ipsi veteres Aeschylum ea de causa optimum tragicorum censuerunt, quod *πρόσωπα μεγάλα καὶ ἀξιόχρεα* velut deos in Prometheis adhibuit[3]. Sed ubi primum di in scenam producti sunt, interdum etiam totum fabulae argumentum a solis deis peragi potuit.

Magna autem cum veri specie suspicari possumus ipsos deos, si tragoediae non ad cultum ut ludi sacri pertinuissent, a poetis in scenam introduci non potuisse verentibus, ne maiestas deorum laederetur. Hoc ipsis Aeschyli Eumenidibus et Prometheo, a quibus progressi sumus, confirmatur, quae quam arte cum religione cohaereant, mox videbimus.

In Eumenidibus, tertia Orestiae fabula, caput est veterum

---

[1] Christ-Schmid *Geschichte der griech. Literatur*, *München* 1908 p. 245, qui etiam alios libros locosque, qui huc pertinent, affert. Rohde *Psyche*, *Tübingen* 1907, I 288 sq.

[2] *Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum*, *Leipzig* 1896 p. 42 sqq.; cf. etiam A. Dieterich l. p. 2 l. p. 173 sq.

[3] Cf. locum *ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας* desumptum infra p. 12.

novorumque deorum iudicium, cum et quaeratur, utrum deus, qui matrem caedi iusserit, iustus bonusque sit necne, et per novos deos sublata vetere crudelique ratione caedem caede et sanguinem sanguine expiandi iudicium de parricidiis instituatur. Unicuique autem, qui non sine ulla dubitatione traditas fabulas accepit, sed de eorum natura atque indole cogitavit, ea, quae de Orestae sorte tradebantur, scrupulos excitare debebant, inter quos Aeschylus, etsi interdum de Apollinis iustitia dubitavit [1], maiore erga deos pietate erat, quam ut non summo studio ita priscas fabulas explicare conaretur, ut deorum iustitia et maiestas servaretur. Et invenit explicationem, qua ipse contentus esse potuit, cum homines artiore vinculo cum patre quam cum matre coniunctos esse demonstraret, id quod, ne cuiquam dubium esset, Minervae ortu confirmavit (v. 658—666, 735—740). Tum autem Areopago, apud quem de homicidiis ageretur, condito Furiae, ferocis ultionis deae, Eumenides fieri atque ut benigna numina sacris celebrari coeperunt. In ludo igitur sacro deos adhiberi certe cognoscimus ex hac fabula, quae artissime cum religione cohaeret; atque etiam maiore sanctitate imbuitur tragoedia eo, quod ipsi dei in scenam prodeunt.

Areopagum a dis constitutum et Orestam ab hoc iudicio absolutum esse iam ante Aeschylum Athenienses credidisse verisimile est [2], Aeschylus autem in Eumenidibus a Minerva, summa Athenarum dea, in ipsa scena Areopagum facit conditum, quocum cultum Eumenidum ab eadem dea institutum coniunxit. Sed etiam foedus Argivorum et Atheniensium dis praesentibus atque probantibus factum fabula adhuc exstanti praebetur, quam in rem accuratius inquirere opus est, cum non defuerint, qui versus, quibus de hac societate agitur, ab

[1] *Griechische Tragödien übersetzt v. U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Berlin* 1900 II 42 sqq.

[2] Alia ratione atque Aeschylus fabulamque eius tragoedia vetustiorem, ut videtur, secuti Areopagum institutum esse narrant Euripides Electr. 1258 sqq. et Demosthenes contra Aristocr. 66, qua de re fusius disseruerunt Henricus Weil *Revue des études Grecques* I (1888) 14 et Fridericus Blass in praefatione editionis Eumenidum *Berlin* 1907 p. 1 sq. Ipsam autem Minervae orationem, qua apud Aeschylum sollemniter novum iudicium instituitur, non spuriam esse contra ea, quae Dindorf et Wecklein protulerant, demonstraverunt Weil l. l. p. 13 sqq. et Blass in editione p. 147 sqq.

Aeschylo alienos esse putarent. Henricus enim Weil l. p. 4 l. p. 12, quem secutus est Nicolaus Wecklein in Orestiae editione (p. 330 adn. ad v. 670—76) v. 667—673, quibus Apollo se Orestam Minervae urbi socium et amicum praebere dixit, delendos esse censuit, cum in Areopago, ne τὰ ἔξω τοῦ πράγματος afferrentur, lege cautum esset. Sed hanc rationem in Eumenidibus praeter hunc locum iterum videmus neglectam, cum Eumenides plane ἔξω τοῦ πράγματος minis perterrere indices conentur (v. 711 sq.). Huc accedit, quod saepius Aeschyli tragoedia a certo Areopagi negotiorum ordine dissentit (cf. Blassium l. p. 4 l. p. 135). Atque eo minus haerendum est in eo, quod Apollo hoc loco de societate illa loquitur, cum eadem iam antea ipse Orestes v. 287 sqq. monuerit. Quo loco, quem integrum esse omnes consentiunt, Orestae verba ea de causa nemo delevit, qua commotus Weil Apollinis illa verba ab Aeschylo abiudicavit, nempe quod ad rem omnino non pertineant, licet eodem iure hanc causam in Orestae atque in Apollinis verbis adhibere possis. Neque enim Orestes Athenas venit, ut foedus Argivorum et Atheniensium faciat, sed ut Minervae auxilio ab Eumenidibus persequentibus liberetur. Si igitur Aeschylus ab ipso initio foedus illud cum iudicio matricidii coniunxit, etiam postea in iis locis haerere non licet, quibus de eadem re agitur. Alia est quaestio, num recte contendat Weil illos versus 667—673 neque cum antecedentibus neque cum sequentibus bene cohaerere, qua de causa etiam in novissima editione Teubneriana lacunam post v. 666 indicavit. Sed erravit ille vir doctus, cum nihil omnino desideretur. Lacunae enim fallax species eo oritur, quod Apollo, cum v. 666 argumenta finiverit, ad ipsam Minervam conversus brevem epilogum addit, quo Orestam facunde illi commendat. Tum haec interrogat, num, quaecunque dicta sunt, sufficiant, ut suffragia ferri possint. Recte igitur Blass in editione traditum contextum retinet neque versibus deletis neque lacuna indicata, qui idem recte contendit clausula carere Apollinis verba, si quis versus 667 sqq. induxerit[1].

[1] Conferenda ea quoque sunt, quae de Wilamowitz *Aristoteles und Athen* II 331 proposuit.

Etiam e versibus 754—774, quibus ipse Orestes Minervae iurat semper Argivos Atheniensium foedus et amicitiam servaturos esse, Dindorfium secuti Weil et Wecklein (l. p. 4 sq. l.) v. 767—774 deleverunt, quibus affirmat Orestes vel e sepulcro progressum se duces Argivorum territurum iisque mala et calamitates daturum esse, si unquam contra Athenienses arma sint laturi. Quae verba totius loci sententiae aptissima esse recte Blass l. p. 4 l. p. 135 demonstravit. Sed quod Weil contendit haec scribi non potuisse, nisi Argivi tum in animo habuissent bello Athenienses persequi, id plane futtile esse ex Euripidis quodam loco apparet (Suppl. 1191 sqq., 1208 sqq.), quo Minerva Adrastum iurare iubet nunquam Argivos cum Atheniensibus manus esse conserturos. Neque tamen Euripidis neque Aeschyli temporibus illas civitates inter se bellasse audimus, unde elucet illa iura iuranda propter id tantum allata esse, ut foederi maior gravitas adderetur atque prorsus refutandum esse, quod Wecklein contendit locos Euripidis et Aeschyli vaticinia esse ex eventu. Apud Aeschylum igitur id delere non licet, in quo apud Euripidem nemo haereat, neque, quae Weil de prolixo genere dicendi protulit, sufficiunt ad locum delendum.

Nihil ergo habemus, cur versibus, de quibus modo disserui, eiectis foedus Argivorum cum Areopagi cultusque Eumenidum institutione apud Aeschylum coniunctum fuisse negemus. Haec societas ex ipsa Aeschyli aetate in illa fabulosa tempora consulto est translata, ut foedus, quod anno 462 Athenienses et Argivi contra Lacedaemonios fecerant [1], sanctitate quadam imbueretur [2]. Sed etiam Areopagi institutione et Eumenidum cultu utitur Aeschylus, ut per deos de iis, quae eius temporibus Atheniensium animos valde commovebant, proferat, quae ipse patriae salutaria esse censet. Nam cum Areopagi potestas Ephialta auctore a populo Atheniensium tantopere

[1] Thucyd. I 102. Busolt *Griech. Gesch.* II 474. 486; Wilamowitz *Übersetz. griech. Trag.* II 309 sq.

[2] Wilamowitz *Aristoteles und Athen* II 341 contendit iam Pisistrati aetate Athenienses et Argivos societate coniunctos fuisse. Hoc unde desumpserit vir ille doctus, nescio, cum Herodotus I 61 id tantum praebeat Pisistratum contra Athenienses profecturum mercenariorum Argivorum auxilia sibi parasse.

esset comminuta, ut solae causae capitales diiudicandae ei remanerent [1], gravissimis verbis Aeschylus, ne plus auctoritatis sanctissimo iudicio demeretur, monuit. Hoc tam clare explicaverunt de Wilamowitz [2] et Busolt [3], ut iis non assentiendum sit, qui Aeschylum acerrimis verbis Ephialtam eiusque socios vituperare voluisse censuerint, quorum in sententiam nuperrime iit Blass [4]. Tum Aeschylus tanta cum gravitate cives, ut concordes sint, adhortatur, ut, siquis civium in tumultu domestico sit necatus, melius esse dicat caedem non ulcisci quam novis cruoribus effusis patriae nocere (v. 980sqq.), quibus verbis certe ad Ephialtae mortem alludit [5]. Propterea etiam Minervam ab Eumenidibus quaerentem facit, ut civilia bella removeant [6].

In fine Eumenidum nonnullos versus intercidisse, qui olim in hac fabula inerant, inde apparet, quod Aristophanes in huius tragoediae argumento et Harpocratio s. v. *Εὐμενίδες* Minervam in Aeschyli Eumenidibus nomen Eumenidum Furiis indi-

---

[1] Aristot. *πολιτεία Ἀθηναίων* 25, 2. Philochorus fr. 141b Mueller FHG I 407. Busolt *Griechische Staatsaltertümer, München* 1892 p. 167sq.

[2] *Aristoteles und Athen* II 334. 337; cf. praecipue *τὸ δικαστῶν βουλευτήριον* v. 684 commemoratum.

[3] *Griechische Geschichte* II 486.

[4] In praefatione editionis p. 13sq.

[5] Aristoteles *πολιτεία Ἀθηναίων* c. 25, 4; Plutarch. Pericl. c. 10; de Wilamowitz *Aristoteles und Athen* II 342.

[6] Versus, qui huc pertinent (858—866) Dindorf et Wecklein deleverunt, iustam autem delendi causam non protulerunt. Nam primum, quod Aeschyli generi dicendi aptum non esse locum censuerunt, hoc opinatione ex mero arbitrio concepta contenderunt ac ne conati quidem sunt demonstrare, quid id esset, quod contra Aeschyli rationem pugnaret. Neque inde causa delendi sumenda est, quod versibus illis ad rem publicam spectatur, cum etiam chori verbis (980sqq.) non minus clare ad res paulo antea gestas alludatur. Tum autem Wecklein *Berliner philol. Wochenschr.* IV (1884) 897sqq. demonstrare conatus est numeros versuum, quos Minerva post singulas chori strophas et antistrophas profert, eadem ratione inter se respondere atque illas. Versus antem 858—866, cum oppugnent huic dispositioni, delendos esse censuit Wecklein, post v. 912 transposuit Weil in editione Teubneriana. Neque tamen transponendos nedum delendos esse versus existimo, ut responsionem sola coniectura factam recipiamus, praesertim cum Blass l. p. 4 l. p. 164 optime demonstraverit versus ordine, quem praebent codices, servato bene inter se cohaerere.

disse testantur. Praebet enim Aristophanes: *Ὀρέστης . . . . παρεγένετο εἰς Ἀθήνας εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς. ἧς βουλῇ νικήσας κατῆλθεν εἰς Ἄργος, τὰς δὲ Ἐρινύας πραΰνασα προσηγόρευσεν Εὐμενίδας.* Locus, ad quem haec pertinent, fortasse exstabat post v. 1026, ubi Weil et alii lacunam indicant, certe exitui eum insertum fuisse rerum conexu demonstratur. Minerva igitur non solum ipsum cultum instituit, sed etiam, quo nomine novae illae Atheniensium deae colerentur, proposuit.

Sed comprehendamus, quae ex Eumenidibus de tragicis deorum partibus cognoscimus! Dei, praeterquam quod ipsam tragoediam religiosiorem et splendidiorem reddunt, adhibentur, ut cultus moresque sacratos instituant, foedera sanciant, quae ipse poeta de rebus publicis sentit, proferant. Neque haec aliena sunt a ludi sacri indole. Nam secundum sacras Graecorum fabulas, id quod paulo infra hymnis Homericis nobis probabitur, dei inter homines tamquam monumenta et testimonia, quibus etiam posteris temporibus demonstretur, qua ratione ipsi hominibus prospexerint et suo consilio res humanas disposuerint, cultus ritusque instituerunt, quibus homines, ut deos debita verecundia colant, admoneantur, salubresque mores et leges, quibus fruantur cum utilitate. In sacro autem ludo in deorum honorem acto, cum ipsi di in scenam prodirent agentes atque introducerentur sua ope res humanas regentes, ex rei erat natura ea, de quibus maxima dis gloria gratiaque ab hominibus redundabant, cum argumento fabulae coniungere et deos ea ratione celebrare, ut ipsi salubria illa instituta monumentaque divinae potentiae et providentiae condentes in conspectum darentur. Qua de causa *αἴτια*, ut ita dicam, cultuum sacrorumque morum ipsa ludi sacri natura cum tragoediarum argumento cohaerent. Sed iam in veteribus carminibus choricis, e quibus procreata est tragoedia, haec exstabant, cum in illis quoque non solum dei sed etiam ea, quae divina ope constituta credebantur, celebrarentur. Sic in hymno quinto Homerico, qui dicitur, Ceres sacra Eleusinia, in altero Apollo Delphicum oraculum condentes praedicantur. Ea autem, quae in carminibus choricis in deorum gloriam canebantur, agebantur in ludis [1]. Sed postquam

[1] Cf. etiam A. Dieterich l. p. 2 l. p. 189 sq.

in tragoediis sacra et mores per deos instituta sunt inducta, facile etiam, quae illis temporibus, quibus actae sunt tragoediae, perficere civium intererat velut instituta publica, foedera, alia eo consecrari potuerunt, ut aut ab ipsis dis statuta fingerentur aut dis praesentibus atque probantibus tamquam deorum auctoritate pangerentur.

Prometheos complures Aeschylus conscripsit: *Δεσμώτην*, quae fabula adhuc exstat, *Λυόμενον* et *Πυρφόρον*, quae afferuntur in catalogo codicis Medicei typis expresso in Dindorfii scholiis Aeschyleis[1]. *Προμηθέα* autem *Πυρκαέα*, quam Pollux affert (IX 156 et X 64 Bekker), satyricam fabulam et cum Persarum trilogia coniunctam fuisse nunc inter viros doctos constat[2]. E ceteris Prometheis Solutum Vincto posteriorem fuisse per se patet et scholiis Vincti veteribus ad v. 511 et 522 (Dindorf) confirmatur. Etiam, quale argumentum Soluti fuerit, in priore parte certius fragmentis demonstratur, in altera, etsi summa constat, tamen singula dubia sunt et a viris doctis diversis rationibus concinnantur[3]. Iam, quid ego sentiam, propono. Prometheus, quo in Tartarum coniecto Vinctus finitur, in Soluto denuo productus ad Caucasi saxa alligatus haeret (Cic. Tusc. II 10, fr. 193 N), ubi tertio quoque die iecur eius ab aquila laniatur. Titanes, quos chori munere fungi apparet, a Iove liberati (cf. Prom. Vinct. 219 sqq.) ad Prometheum veniunt (fr. 190 N), scilicet ut eum commoveant, ut et ipse cum Iove in gratiam redeat. Neque sine magna veri specie Fridericus Welcker coniecit (*Tril.* p. 42) etiam Gaeam, Titanum matrem, in Soluto apparuisse, quam eodem modo atque in Vincto Oceanum Prometheo, qui et ipse iam veterem contumaciam deposuit (fr. 193 v. 23 N; Welcker *Tril.* p. 34 sq.), suasisse verisimile est, ut Iovis veniam sibi pararet. Hercules autem, cui Prometheus indicat, qua via ad Hesperidas veniat (fr. 195. 199 N), aquila necata (fr. 200 sq. N) Iovi Chi-

[1] Oxonii 1851 p. 9 sq.

[2] Rudolphus Westphal *Prolegomena zu Aeschylus*, *Leipzig* 1869 p. 207 sq.; Christ l. p. 3 l. p. 280; Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. *Aischylos* I 1072.

[3] Welcker *Die Aeschylische Trilogie Prometheus*, *Darmstadt* 1824 p. 28 sqq.; Bapp apud Roscherum III 2 col. 3061 sq.; Tragicorum Graecorum Fragmenta (TGF)[2] rec. Augustus Nauck Lipsiae 1889 fr. 190 sqq.

ronem immortalem praebet, qui Promethei loco ad inferos ire paratus est, cum Iuppiter se illum, nisi alter deus pro eo moreretur, liberaturum non esse iuraverit (Prom. Vinct. 1026 sqq.; Apollod. II 119 Wagner; Welcker *Tril.* p. 47 sqq.). Prometheus autem ea condicione liberatur, ut fatales nuptias quales sint renuntiet, quas Iovis imperio periculosas fore percrebruit [1].

Quae res qua ratione ab Aeschylo in singulis tractatae atque dispositae sint, valde dissenserunt viri docti, quin etiam nonnulli dubitaverunt, num omnes una fabula fuerint comprehensae. Hanc in rem breviter nobis est inquirendum, priusquam de ipsis deorum in Prometheis partibus verba faciamus, cum artissime hae duae quaestiones inter se cohaereant. Atque Vinctum quidem, Solutum, Igniferum trilogiae vinculo coniunctas fuisse omnes consentiunt, cum tres fabulas ad eundem Prometheum pertinentes habeamus, Vinctum et Solutum eiusdem trilogiae fuisse scholia testentur (cf. supra p. 9), Aeschyli *Προμηθεῖς* ut fabulae inter se coniunctae in historia musica (cf. infra p. 12) afferantur.

Sed iam ad singulorum sententias examinandas transeamus. Quorum Westphal l. p. 9 l. p. 207 sqq. censet Iove invito atque nesciente Prometheum ab Hercule liberatum esse eoque finitam esse tragoediam, quae inscribitur *Λυόμενος*. Tum in *Πυρφόρῳ*, quam fabulam tertiam trilogiae esse existimat, Prometheum ab Hercule in contionem deorum introductum in gratiam redisse cum Iove, ubi fatales nuptias explicaverit et Chiro Promethei gratia morti se dederit. Quo facto Promethea Attica [2], quibus adulescentes in honorem Promethei igniferi cum facibus ardentibus per Ceramicum ad urbem currebant, ab omnibus dis sollemni pompa esse instituta, in qua etiam ipse Prometheus facem portaverit. Propterea inscriptam esse fabulam *Πυρφόρον*, quo nomine Prometheus ab Atticis celebratus sit.

---

[1] Vinct. 169 sqq., 764 sqq., 907 sqq., 989 sqq.; Philodem. *περὶ εὐσεβείας* apud Theodorum Gomperz *Herculanische Studien* II 41.

[2] *Τὰ Προμήθεια* Lysias 21, 3; Isaeus 7, 36; [Xenophon] res publ. Athen. 3, 4 al. Horum de ritu conferenda sunt, quae Bapp apud Roscherum s. v. Prometheus III 3037 protulit, quo loco etiam alii libri, qui huc pertinent, afferuntur.

A Westphalio autem veterum locos, quibus sententiam suam confirmare voluit, falso esse adhibitos tam bene cum Ericus Bussler[1] tum Henricus Duentzer[2] demonstraverunt, ut appareat Westphali sententiam solam coniecturam esse certis veterum testimoniis carentem. Quae num probanda sit, quaeritur. Sed difficillima est haec quaestio, cum argumentum Igniferi nullo veterum scriptorum testimonio certe tradatur. Valde autem Wesphali sententia eo improbatur, quod vix intellegi potest, quem locum *τῶν Προμηθείων* pompa per ipsos deos agentes celebrata in illius argumento tenuerit. Vocem enim *Πυρφόρον* titulo fabulae additam non ad res quaslibet in fabula narratas vel praenuntiatas sed ad ea, quae acta sunt in fabula, spectare similes tituli demonstrant velut apud Aeschylum *Προμηθεῖς Δεσμώτης* et *Λυόμενος*, apud Sophoclem *Ναύπλιος Πυρκαεύς*, *Ὀδυσσεὺς Ἀκανθοπλήξ*, apud Euripidem *Ἡρακλῆς Μαινόμενος*, *Μελανίππη ἡ σοφή*, *Μελανίππη ἡ δεσμῶτις*, *Ἱππόλυτοι Καλυπτόμενος* et *Στεφανηφόρος*. Prometheum igitur in *Πυρφόρῳ* ignem portasse ex titulo constat, qua de causa, si re vera in Ignifero de Prometheorum institutione actum est, ipso titulo declaratur ferias illas non ab aliquo deo vaticinante institutas sed ea ratione, quae Westphalio quoque accepta est, ab ipsis deis et Prometheo agentibus conditas esse. Iam quis contendat priore parte tragoediae in contione deorum i. e. in caelo vel in Olympo acta Prometheum una aut cum Minerva et Vulcano, quibuscum Athenis celebrabatur (cf. Bappium l. p. 10 l.) aut cum omnibus Olympicis dis et cum choro divino velut Titanum in hominum regiones descendisse hominesque ab iis esse convocatos, ut viderent, qualis cultus esset instituendus. Hoc autem veri dissimillimum est, cum nihil omnino simile in tragicae poeseos reliquiis videamus. Neque enim tragoediam invenimus, cuius altera pars in caelo, altera apud homines agitur, neque ea sola de causa homines a dis convocantur, ut cultui condendo intersint. Etiam in Eumenidibus, quam fabulam Westphalium in restituendo Ignifero secutum esse nemo non videt, longe aliam rationem deprehendimus, cum tota fabula in hominum regionibus agatur et

[1] Ann. Fleckeis. CXLVII (1893) 277 sqq.
[2] Ann. Fleckeis. CXLIII (1891) 737 sqq.

Athenienses a Minerva necessitudine quadam intercedente advocentur, nempe ut iudicium de Oresta ferant. Sed etiam certo veteris cuiusdam testimonio vetamur in Igniferum homines introducere, cum in codice Mediceo ad Aeschyli vitam addatur: *Ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας· ταύτῃ καὶ ἄριστος εἰς τραγῳδίαν Αἰσχύλος κρίνεται, ὅτι εἰσάγει πρόσωπα μεγάλα καὶ ἀξιόχρεα. καί τινες ἤδη τῶν τραγῳδιῶν αὐτῷ διὰ μόνων* (*δαιμόνων* perperam *M*, emend. Robortellus) *οἰκονομοῦνται θεῶν καθάπερ οἱ Προμηθεῖς· τὰ γὰρ δράματα συμπληροῦσιν οἱ πρεσβύτατοι τῶν θεῶν, καὶ ἔστι τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ τῆς ὀρχήστρας θεῖα πάντα πρόσωπα.* Quo loco plane demonstratur in Prometheis et in scena et in orchestra solos deos esse introductos h. e. et histrionum et chori partibus deos esse functos, neque habemus, cur huic testimonio diffidamus, quod verum dicere et Prometheo Vincto et iis, quae de Prometheo Soluto scimus, confirmatur. Ergo pro certo habendum est etiam in Ignifero solos deos partes egisse. Ipse autem Westphal, quamquam expressis verbis non dicit, quomodo Promethea a dis instituta esse voluerit, videtur existimasse illa in Olympo per pompam sollemnem a solis dis celebratam condita esse. Hoc autem probandum non esse censeo, cum, si quem cultum ab hominibus celebrandum di instituunt, ipsa rei natura postuletur, ut homines adsint, qui cultu illo fungi iubeantur, sicut in Eumenidibus toto Atheniensium Areopago praesente Minerva cultum Eumenidum instituit. Alia res est, si vaticinando praenuntiatur hominibus cultum aliquem fore celebrandum: sed de hac re in Ignifero propter titulum non esse cogitandum iam vidimus. Praeterea Prometheum pompa et facibus colere hominum est, quibus ignem paravit, non deorum. Quaecunque igitur in Eumenidibus, qua in fabula res apud homines aguntur, optime quadrant, non conveniunt ei argumento, quod in Olympo solis deis praesentibus pertractatur.

Qua de causa, cum, quae Westphalio placuerunt, minime tanta probabilitate commendentur, ut per solam coniecturam Aeschylo imputentur, aptius ad eam trilogiae dispositionem redeamus, quam iam Welcker in libro illo celeberrimo de Aeschyli Prometheis conscripto, quem supra p. 9 laudavi, proposuit, et primo loco *Πυρφόρον*, altero *Δεσμώτην*, tertio

Λυόμενον ponamus. Tum in *Πυρφόρῳ* de ignis furto actum esse censendum est. Neque tamen certiora de argumento proferri possunt, cum ex uno huius fabulae fragmento (208 N)[1] nihil discamus. Itaque etiam ea, quae Welcker l. l. p. 7 sqq. proposuit, merae coniecturae sunt. Trilogiae autem dispositionem Welckerianam contra veterum testimonia non pugnare iam Duentzer et Bussler demonstraverunt, atque praecipue ille summum Westphali argumentum luculenter refutavit. Nam cum in scholio Vinct. 94, TGF p. 69 legamus Aeschylum in Ignifero contendisse Prometheum *τρεῖς μυριάδας ἐνιαυτῶν δεδέσθαι*, Westphal censuit eo, quod perfecti forma *δεδέσθαι* apud scholiastam exstaret, demonstrari in Ignifero Promethei poenam iam fuisse finitam. Optimo autem iure Duentzer l. p. 11 l. p. 740 sq. negavit scholiastam, qui annorum tantum numerum ex Aeschylo desumere voluisset, etiam tempus servare studuisse, quod Aeschyli loco, quem adhibuit, invenisset. Apud Aeschylum igitur etiam futurum tempus exstare potuit, ita ut scholio illo id, quod Westphal voluit, omnino non demonstretur. Hac in re etiam Dieterich erravit, qui apud Pauly-Wissowam s. v. *Aischylos* I 1079 Westphalio assentitur, atque plane supervacanea etiam Kviçalae est coniectura falso a Busslero l. p. 11 l. p. 279 sq. assumpta, qui pro *δεδέσθαι* scribere voluit *δεδήσεσθαι*. Sed fortasse locus, ad quem spectat illud scholion, omnino non in Ignifero sed in Soluto inerat, quod Welcker iam suspicatus est, Dindorf autem ita pro certo habuit, ut *λυομένῳ* pro *πυρφόρῳ* in textum introduceret. In Philodemo enim apud Theodorum Gomperz *Herc. Stud.* p. 39 habemus: *Αἰσχύλος ἐν τῷ λ⟨υο⟩μέν⟨ῳ Πρ⟩ομηθεῖ . . . . ὑπ⟩ὸ Διὸς δεδ⟨έσθαι⟩*. Quin etiam hoc fieri potuit, ut et in Ignifero et in Soluto, quantum tempus Prometheus vinculis teneretur, enarraretur, in illo scilicet, cum Iuppiter vel alius quidam deus, quanta poena furto ignis esset futura, praenuntiaret.

Nullum igitur antiquitatis testimonium Welckeri dispositioni obstat, sed in eo haeserunt viri docti, quod in Prometheo Vincto fuse enarrata esse existimaverunt, quae in

[1] Welcker *Tril.* p. 123 etiam Aesch. fr. 288 et 369 N, quae qua in fabula infuerint, nescimus, Ignifero tribuit, sed certo fundamento caret haec sententia.

Ignifero acta esse Welcker voluit[1]. Hanc difficultatem removere enixe iam studuerunt Duentzer et Bussler atque satis probabilia protulerunt, maximum autem argumentum eos effugit. Explicantur enim fusius et Gigantum Iovisque certamina (Vinct. 199—241) et artes, quibus Prometheus homines instruxit (436—506). Ipsum autem ignis furtum, cuius praecipue Prometheum condemnatum esse Cratos (v. 7 sqq.) et ipse Prometheus (v. 109 sqq.) testantur quodque idem mythographi tradunt[2], etsi in Vincto saepius commemoratur velut v. 7 sq. 38. 82 sq. 109 sqq. 252, tamen semper paucis verbis absolvitur. Haec res per se satis mira facile intellegitur, si Aeschylus id ipsum, quod in antecedenti fabula praecipue tractavit, in Vincto fusius enarrare ita veritus est, ut de maximo illius crimine paucissima verba facere mallet quam, quae omnibus spectatoribus erant notissima, denuo accurate repetere. Vel ex hac ipsa re, qua Welckerum in disponenda trilogia sequi paene cogimur[3], hoc quoque conici potest, quaecunque de Gigantibus hominumque artibus in Vincto habemus, in Ignifero alio modo commemorata fuisse, si omnino commemorabantur. Hanc in sententiam etiam Duentzer et Bussler ierunt. Illum rectissime hoc quoque contendisse in trilogia omnino vitari non posse repetitiones luculenter ipso Vincto demonstratur, in quo aliquot locis Prometheum et fatalibus nuptiis explicatis cum Iove in gratiam rediturum esse[4] et ab Hercule liberatum iri (771 sqq.) clare praenuntietur, quae postea in Soluto acta esse scimus.

Quae cum ita sint, Welckero non Westphalio trilogiam disponenti assentiamur. Hoc si fecerimus, in Soluto Prometheum non modo liberatum esse sed etiam cum Iove in gratiam redisse nobis coniciendum est. Cuius argumenti singula quomodo fuerint tractata, diligentius demonstrare cum ab huius opusculi sententia abhorreat, hoc unum commemorem haud suo

[1] Praeter Westphalium etiam Dieterich apud Pauly-Wissowam I 1079.

[2] Apollod. I 46; Hyg. fab. 144; cf. etiam Athenaei locum infra p. 16 allatum: *χάριν τῆς κλοπῆς τοῦ πυρός.*

[3] In eandem sententiam partim isdem testimoniis, quae ego attuli, partim aliis similibus innisus Bapp iit l. supra p. 9 l. col. 3058 sq.

[4] Cf., quae supra p. 10 adn. 1 congessi.

iure Duentzerum contendisse (l. p. 11 l. p. 746) aquila necata Iovem ipsum de caelo descendisse. Verisimilius enim est per Mercurium, qui idem in Vincto Iovis mandata ad Prometheum defert, hunc Iovi esse reconciliatum. Atque Mercurius etiam divinis honoribus a mortalibus cultum iri Prometheum videtur indicasse. Neque enim verisimile est Atticum poetam de Attico Promethei cultu verba non fecisse, praesertim cum divini cultus *αἴτια* cum tragoediarum argumentis coniungi plane ex ludi sacri natura esset, id quod iam in Eumenidibus vidimus.

Tum autem Athenaeus XV p. 674D haec praebet: *Αἰσχύλος δ' ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησιν, ὅτι ἐπὶ τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν στέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ· καίτοι ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ εἰπών·*

Τῷ δὲ ξένῳ γε στέφανον, ἀρχαῖον στέφος,
δεσμῶν ἄριστος ἐκ Προμηθέως λόγου.

Quo loco Duentzer l. p. 11 l. p. 745sq. verba *ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ* e falso additamento, quod in margine aliquis adscripsisset, in contextum recepta esse et de sola Sphinge agi contendit. Immo hoc scribendum esse: *Αἰσχύλος ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Σφιγγὶ σαφῶς φησιν, ὅτι ἐπὶ .... δεσμοῦ εἰπών κτλ.* Neque enim ex Sphinge versum afferri posse, ut, quae in Prometheo dicta sint, cognoscamus. Haec prorsus futtilia esse nemo non videt. Plane enim effugit Duentzerum alia ex Prometheo, alia e Sphinge afferri. An ex eo, quod dicamus: 'corona, vetus serta, hospiti optimum vinculum est, sicut Prometheus dixit', quis coniciat homines coronam in Promethei honorem ferre, quasi eis ipsis poena eius sit expianda? Immo diversa afferuntur, et alterum alteri optime voce *καίτοι*, quam plane neglexit Duentzer, opponitur. Videtur autem Aeschylus ea, quae ipse in Prometheo dixit, eleganter in iocum vertisse in Sphinge, fabula satyrica (TGF p. 76), cum in hac diceret hospiti in convivio coronam optimum esse vinculum, scilicet ne maturius decederet a sodalibus, in tragoedia autem mortales in Promethei honorem capita coronis esse redimituros, ut eis quasi vinculis impositis ipsi multarentur pro poena, qua hominum gratia Prometheus esset afflictus. Nam hoc significatur Athenaei verbis

ἀντίποινα[1] *τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ*, id quod etiam clarius alio Athenaei loco (XV p. 672 E) demonstratur, quo legimus: *Ἱστορεῖται . . . . . θεσπίσαι τὸν Ἀπόλλωνα ποινὴν αὐτοὺς* (sc. *τοὺς Κᾶρας*) *ἀποδοῦναι τῇ θεῷ δι' ἑαυτῶν ἑκούσιον καὶ χωρὶς δυσχερῶς συμφορᾶς, ἣν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις ἀφώρισεν ὁ Ζεὺς τῷ Προμηθεῖ χάριν τῆς κλοπῆς τοῦ πυρὸς λύσας αὐτὸν ἐκ τῶν χαλεπωτάτων δεσμῶν· καὶ τίσιν ἑκούσιον ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην δοῦναι θελήσανιος ταύτην ἔχειν ἐπιτάξαι τὸν καθηγούμενον τῶν θεῶν· ὅθεν ἀπ' ἐκείνου τὸν δεδηλωμένον* (i. e. *τῆς λύγου*) *στέφανον τῷ Προμηθεῖ περιγενέσθαι καὶ μετ' οὐ πολὺ τοῖς εὐεργετηθεῖσιν ἀνθρώποις ὑπ' αὐτοῦ κατὰ τὴν τοῦ πυρὸς δωρεάν.* Quibus ex Athenaei locis coniciendum est in Soluto Prometheum, cum coronam pro vinculo assumpsisset (cf. etiam Apollodorum II 119), praenuntiasse homines quoque in suum honorem vinculo illo usuros esse i. e. *αἴτιον* moris cuiusdam dedisse. Hac igitur de corona Prometheo imponenda in Soluto rem fuisse etiam alii viri docti, qui de hac re egerunt, velut Bapp et Duentzer concluserunt. Valde autem dubium est, num recte censuerit Welcker anulum quoque ferreum a Prometheo apud Aeschylum vinculorum loco aptatum esse digito, quam rem apud posteros poetas et scriptores invenimus: Catullum 64, 294 sqq., Plinium hist. nat. 33 § 8 et 37 § 2 (Mayhoff), Servium Danielis ad Vergili eclogae VI v. 42, Hyginum astr. II 15[2].

Habemus igitur trilogiam, in qua omnia per deos aguntur et qua non modo Promethei facinora, poena, restitutio continentur sed etiam explicatur, quomodo prisca illa monstra velut Atlas et Typho ferocesque Titanes a novis et melioribus dis superata et ipse Iuppiter e saevo tyranno benignus deorum hominumque pater factus sit[3]. Quo argumento *ἱερὸν λόγον* praeberi apparet, ita ut in hac trilogia non minus quam in Eumenidibus intellegamus in ludo sacro deos adhiberi. Soluti autem exitui *αἴτιον* coronarum insertum invenimus et verisimile est de Prometheorum quoque institutione verba

[1] Vox *ἀντίποινα* iambico metro aptissima fortasse ipso illo Aeschyli loco exstabat; nam idem vocabulum invenimus Eum. 268, Pers. 476.

[2] Cf. etiam Duentzerum l. p. 11 l. p. 746.

[3] de Wilamowitz *Übersetz. Griech. Trag.* II 45.

esse facta. Alia *αἴτια* Aeschylus in Vincto addidit, cum 732 sqq. referat Cimmericum Bosporum ex Ionis transitu appellatum iri, v. 839 sqq. Ionem sinui Rheae nomen maris Ionici esse indituram et cum v. 849 sqq. Epaphi Ionis filii nomen inde derivet, quod Iuppiter Ionem *ἐπαφῶν* resipientem fecit. Tum v. 865 sqq. Argivorum regum *αἴτιον* proponitur. Afferuntur autem haec, cum dei, quae futura sint, praenuntient aut, quae sint facienda, edicant.

Eadem igitur *αἴτια*, quae e ludi sacri natura cum tragoediarum argumentis cohaerere et ab ipsis deis referri iam in Eumenidibus vidimus, in Prometheis quoque a dis proferuntur. Neque soli cultus ritusque instituuntur, sed etiam nomina induntur, regum genera deorum voluntate procreatum iri praedicatur, quae omnia non minora divinae providentiae monumenta sunt quam ipsa sacra.

Sed de hac re hactenus. Nunc autem transeamus ad ea, quae ex reliquarum tragoediarum fragmentis de usu deorum Aeschyleo enucleare possumus. Habemus in deperditis eius fabulis complures tragoedias, in quibus deos inter homines velut in Eumenidibus et in Bacchis Euripidis agentes esse introductos aut demonstrari aut conici potest, quarum primas fabulas ad Liberum pertinentes perlustremus.

Dionysiacas, quae cum Thebis cohaerent, fabulas Aeschylus compluribus tragoediis tractavit, e quibus unam esse *Σεμέλην ἢ Ὑδροφόρους* (*ὑδροφόρος* index fabularum) vel ipso titulo declaratur. Argumentum autem quale fuerit, conicere possumus e scholio Apollonii Rhodii ed. Keil ad I 636 a Nauckio TGF p. 73 allato, quo legimus: *Τὴν Σεμέλην Θυώνην καλοῦσιν, ἐπειδὴ Αἰσχύλος ἔγκυον αὐτὴν παρεισήγαγεν οὖσαν καὶ ἐνθεαζομένην, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἐφαπτομένας τῆς γαστρὸς αὐτῆς ἐνθεαζομένας.* Quo ex loco cognoscimus tragoediam illam res paulo ante Bacchi partum gestas continuisse. In fine autem Semelae domum inflagratam esse Welckerum quodam iure secuti e titulo *Ὑδροφόροι* sumere possumus, quoniam, si homines aquam portantes in Semelae fabula commemorantur, de iis cogitari potest, qui ignes Iovis

fulminibus excitatos restinguere conantur[1]. Sed etiam de iis quispiam cogitet, qui aquam ad infantem ad lucem prodituram[2] aut puerperam lavandos apportent. Praeterea Hesychius I p. 160 (Schmidt), fr. 222 N praebet: *Ἀμφίδρομος· Αἰσχύλος Σεμέλῃ ἔπλασε δαίμονα καινὸν* (*καὶ* cod.) *περὶ τὰ Ἀμφιδρόμια, ὡσεὶ ἔλεγες τὸν Γενέθλιον.* Quid hoc sibi vellet, Welcker *Tril.* p. 329 explicare conatus est, cum eadem ratione, qua in Amphidromiis Atticis septimo post partum die actis infans celeri cursu circum focum portaretur, in tragoedia Aeschyli a daemone Amphidromiorum, quem ipse Aeschylus sibi finxisset, Liberum infantem e flammis fulmine excitatis exportatum esse censeret. Sed Amphidromum illum partibus, quas Welcker ei tribuit, fungentem prodiisse pro certo quisquam eo minus potest affirmare, quod vox *ἔπλασε* non modo ad eum, qui producitur in scenam, sed etiam ad eum, qui alicubi in tragoedia commemoratur, pertinere potest. Photius enim II p. 10 (Naber) praebet: *Ὀκτώπαν ποταμὸν Αἰσχύλος διαπέπλακε*[3] *Νεανίσκοις* (fr. 149 N), quo loco Aeschylum flumen in Neaniscis commemorasse, quod ipse sibi finxit, legimus. Tamen etiam id fieri potuit, quod Welcker proposuit, et si Amphidromus in scenam productus munere aliquo functus est, eidem generi deorum est attribuendus atque Cratos et Bia in Prometheo Vincto et Lyssa in Xantriis, de qua fabula infra statim agam, quibus res, quas abstractas vocant, velut animi motus aut corporis vires aut dies aliqui festi divina specie induantur[4]. Sed si Aeschylus re vera primus novum deum, sive in scena adhibuit, sive in fabula commemoravit, etiam de muneribus eius id est de instituendis Amphidromiis verba erant facienda. Itaque in hac quoque fabula *αἴτιον* quoddam habemus, quod si non ipse Amphidromus certe alius deus rettulit.

---

[1] Apollod. III 26 sq.; Hyg. fab. 179.

[2] H. Bluemner *Lehrbuch der griech. Privatalt., Freiburg* 1882 p. 281. Iwan de Mueller *Die griech. Privataltertümer, München* 1892 p. 160.

[3] Sic recte proposuit Cobet (Variae lectiones[2], Lugduni-Batavorum 1873 p. 121) pro tradita voce *διαπέπλευκε*; quae Godofredus Hermann opusc. V 26 sq. coniecit, omni carent probabilitate.

[4] Cf. in Roscheri lex. Stollium s. v. *Κράτος*, Schulzium s. v. *Bia*, Schirmerum s. v. *Lyssa*, Deubnerum s. v. *Personificationen* col. 2113 sq.

Ad Dionysiacas fabulas pertinet etiam *Ξάντριαι*, cuius tragoediae argumentum continetur scholio vetere Aeschyl. Eum. 26 (Dindorf), TGF p. 55: *Νῦν φησιν ἐν Παρνασῷ εἶναι τὰ κατὰ Πενθέα, ἐν δὲ ταῖς Ξαντρίαις ἐν Κιθαιρῶνι* et Photii loco II p. 10 (Naber), fr. 169 N, quocum consentit Suidas s. v. *Ὀκτώπουν*: *Ἐν δὲ ταῖς Αἰσχύλου Ξαντρίαις ἡ Λύσσα ἐπιθειάζουσα ταῖς Βάκχαις φησίν κτλ.* In Aeschyli igitur Xantriis Bacchae apparuerunt, quas Lyssa ad furorem excitavit, et de Penthei morte in Cithaerone patrata res erat. E quibus quadam cum veri specie concludi potest in Xantriis de Penthei morte actum esse et ipsum nomen Xantriarum derivandum esse a verbo *ξαίνειν* i. e. laniare, quod de eodem Pentheo a Maenadibus laniato Philostratus usurpat (Imag. I 18 Kayser, TGF l. l.).

Quodsi Aristophanes Byzantius in hypothesi Baccharum Euripidis praebet: *Ἡ μυθοποιία κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ*, Welcker *Tril.* p. 330 (cf. etiam *Nachtrag*[1] p. 103) Penthei vocem hoc loco pro tota trilogia usurpatam esse probabiliter coniecit, quam e Semela, Bacchis (TGF p. 9), Xantriis compositam esse voluit. Res autem ad Pentheum pertinentes in duabus huius trilogiae fabulis, in Bacchis et Xantriis infuisse idem censuit. Sed etiam Pentheum tragoediam Aeschylus conscripsit, atque plane a vero aberravit Welcker, cum Galenum, qui XVII 1 p. 880 editionis Kuehnianae et Xantrias et Pentheum ut duas tragoedias affert, falso Pentheum tragoediam non trilogiam laudasse existimaret dubiumque esse contenderet, utrum in fabularum catalogo, qui nobis servatus est (cf. supra p. 9)[2] et Pentheum nominat, trilogia an tragoedia significaretur. Nam in catalogo illo solae tragoediae vel fabulae satyricae ac ne una quidem trilogia commemorantur ideoque illic tragoediam Pentheum esse allatam luce clarius est neque habemus, quod falsa in catalogo praeberi censeamus. Quoniam igitur etiam in Xantriis de Pentheo actum fuisse non sine veri specie viri docti concluserunt, verisimile fit Penthei sortem, ut iam Welcker voluit, duabus fabulis ab Aeschylo tractatam esse, sed non Bacchis et Xantriis verum Pentheo et Xantriis,

[1] *Nachtrag zur aeschylischen Trilogie Prometheus, Frankfurt a. M.* 1826.

[2] V. etiam A. Dieterich *Die Zahl der Dramen des Aischylos* Mus. Rhen. XLVIII (1893) 143.

id quod Westphal l. p. 9 l. p. 3 proposuit. Tertiam trilogiae tragoediam Semelen fuisse Westphal et Welcker consentiunt et nobis quoque cum probabilitate sumere licet. Baccharum autem quale fuerit argumentum, plane nescimus. Censendum igitur est et ipsam hanc trilogiam et unam eiusdem fabulam eodem Penthei nomine significatas fuisse, etsi alterum huius usus exemplum non exstat[1]. Haec si sumimus, in Pentheo et in Xantriis Aeschylus ea tractavit, quae Euripides in unam Baccharum tragoediam contraxit. In tali autem argumento certe ipse Dionysus agens in scenam prodiit, quem etiam in Edonis, ut statim videbimus, Aeschylus in conspectum dedit. Tum in Xantriis Lyssam apparuisse iam commemoravimus, quam ut Euripidis Lyssam in Hercule ἀπὸ μηχανῆς devolasse voluit G. Haupt[2]. Hoc autem refutavit Reisch[3], cum iam Aeschylum deos per machinam deduxisse demonstrari non possit[4]. Sed etiam Reisch erravit, cum hac de re contra certum Photii testimonium, qui etiam versus quosdam Lyssae Aeschyleae servavit, in Xantriis Lyssam apparuisse omnino negaverit; nam et in tecto scenae et in ipsa orchestra illa ab Aeschylo introduci potuit.

Fabulas ad Lycurgum pertinentes in Lycurgia tractavit Aeschylus, quae ex Edonis, Bassaridibus, Neaniscis, Lycurgo satyrico erat composita (schol. Arist. Thesm. 135 Duebner, Aeschyl. fr. 61 N). Agebatur igitur in hac trilogia de fabulis, quas Apollodorus III 34 sq. et Hyginus fab. 132 referunt et iam Homerus novit (*Z* 130 sqq.). Quas quomodo Aeschylus composuerit, Welcker *Nachtr.* p. 103 sqq. et G. Hermann opusc. V 3 sqq. enucleare studuerunt. Edonorum argumenti magna

[1] Plane incerta est Welckeri sententia, qui *Tril.* p. 325, *Nachtr.* p. 103 coniecit τὸ ὑπόμνημα Λυκούργου Αἰσχύλου, quod Aristarchum scripsisse scholion Theocr. X 18 (Duebner) testatur, Lycurgiae Aeschyli trilogiae (TGF p. 22) commentum fuisse, ita ut hoc loco Lycurgi vox pro Lycurgiae vocabulo adhiberetur. Nihil enim obstat, quin Lycurgi satyrici (TGF p. 40) commentum ab Aristarcho conscriptum illic laudari censeamus, quae fabula etiam in catalogo simplici nomine *Λυκοῦργος* appellatur.

[2] Commentationes archaeologicae in Aeschylum, quae dissertatio inest in Dissertationibus philologicis Halensibus XIII, p. 152.

[3] Doerpfeld-Reisch *Das griechische Theater* p. 219.

[4] Cf. Bethium l. p. 3 l. p. 139.

pars ex Apollodoro aliisque mythographis cognosci potest, sed de singulis dubitare licet. Hac in fabula Bacchus Lycurgi terram intravit, qui novum deum una cum eius comitibus capi et ad se adduci iussit. Captum autem Lycurgus contumeliis est insectatus, quam ad rem alludit Aristophanes in Thesmophoriazusis v. 135, ubi adnotant scholia: *Λέγει δὲ (ὁ Λυκοῦργος) ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς πρὸς ληφθέντα Διόνυσον Ἐποδαπὸς ὁ γύννις*'. Clare igitur videmus ipsum Liberum in Edonis prodiisse in scenam. Neque vero praeterea quicquam de argumento non modo Edonorum sed etiam totius trilogiae certe scimus; sola coniectura Welcker et dubitanter Hermann opinati sunt Libero capto et a rege irriso finitam esse Edonos tragoediam, tum in Bassaridibus Lycurgum a Dionyso in furorem coniectum mulierem et filium necasse. Sed, cum certiora proferri non possint, quibus, quomodo Dionysus in reliquis trilogiae partibus productus sit, demonstretur, mittamus has fabulas et ad Toxotides transeamus.

Hac in tragoedia mortem Actaeonis tractatam esse recte coniectavit Hermann opusc. VII 344. Notum enim est Actaeonem a Diana, cuius iram excitaverat, in cervum commutatum et a suis ipsius canibus laniatum esse [1], quam ad rem pertinet Aeschyli fr. 244. Fragmento autem 245 ab Aeschylo non modo mortem Actaeonis fuisse tractatam, sed etiam canum nomina allata demonstratur, fr. 241 certe ad Actaeonem spectat, duo alia (242 sq.) optime cum argumento, quo de morte eius agebatur, coniungi possunt [2]. Etiam ipsa vox Toxotidum ad nymphas Dianae significandas est aptissima, quas chori munere functas esse ex ipso titulo conici potest. Saepe enim tragoediae e choro nominabantur velut Trachiniae, Phoenissae, Troades, Choephoroe, Eumenides aliae [3]. Tali autem in fabula ipsa Diana facile in scenam prodire potuit.

Tum ei, qui deos Aeschyleos tractare instituit, neglegen-

---

[1] Apollod. III 30 sq.; Hyg. 180 sq.

[2] Cf. Welckerum in libro, qui inscribitur *Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Kyklus geordnet, Bonn* 1839—41, I 50.

[3] Etiam in *Σεμέλῃ ἢ Ὑδροφόροις* e viris illis vel mulieribus aquam apportantibus chorum fuisse compositum facilis est coniectura (cf. supra p. 17 sq., Welkerum *Tril.* p. 329).

dum non est fr. 327 N, quod Aeschyleum esse traditur neque tamen certae fabulae tribuitur:

Πρὶν ἂν σταλαγμοῖς αἵματος χοιροκτόνου
αὐτός σε χράνῃ Ζεὺς καταστάξας χεροῖν.

Agitur his verbis, ut ipse Eustathius, qui ea servavit, testatur, de ritu lustrationis. Hominem igitur quendam a Iove ipso iri expiatum legimus, verum alii cuidam nisi Ixioni hoc contigisse non traditur. Propterea ad Ixionis lustrationem hoc fragmentum eo magis referre licet, quod ipse Aeschylus Eum. 717 sq. eum a Iove lustratum esse refert. Res autem ad Ixionem pertinentes optime Diodorus Siculus IV 69 (Vogel) renuntiat (TGF p. 29). Ille enim, quem, cum Deioneum socerum per dolum necasset, nemo voluit expiare, ab ipso Iove lustratus tam ingratum se praebuit, ut scelesto amore Iunonem persequeretur. Tum Iuppiter nefastum hominem in Orco ad rotam alligavit, quae celerrime torquebatur. Versibus autem, quos modo attuli quosque ex dei alicuius aut vatis oratione aut ex oraculo desumptos esse apparet, certe demonstratur Aeschylum prius illud Ixionis homicidii scelus tractasse. Atque cum specie quadam veri contendere licet eum, qui trilogias conscripserit, alterum scelus poenamque, qua apud inferos impius ille affectus est, non neglexisse. Conici igitur potest in duabus tragoediis trilogiae vinculo conexis duo illa Ixionis scelera infuisse. Nam Aeschylum uni tragoediae duas res diversas inseruisse omni caret veri specie, cum eum in omnibus argumentis simplicem componendi rationem adhibuisse et fabulae adhuc exstantes et veterum testimonia[1] confirment. Altera autem duarum, quas modo commemoravimus, tragoediarum Ixion (TGF p. 29 sq.) fuit, id quod ipso titulo demonstratur, alteram, quae in trilogia priore loco exstabat quaque de morte Deionei agebatur, Perrhaebides (TGF p. 61) fuisse Carolus O. Mueller censuit[2], cui assensi sunt Welcker et Hermann, quorum hic fragmentum, a quo initium disputandi fecimus, Perrhaebidibus tribuit. Certe autem hoc statui non potest, cum ex Perrhaebidum fragmentis nihil hac de re di-

[1] Cf. vitam Aeschyli apud Westerm. Biogr. p. 118, 27 sqq.
[2] *Göttingische gelehrte Anzeigen* 1827 p. 670 sq.

scamus, etsi argumento, quod Mueller proposuit, illa non contradicunt. In ea autem tragoedia, qua de scelere Ixionis in Iunonem commisso agebatur, deos non modo introductos esse sed etiam amplas partes obtinuisse per se patet. Et quoniam consentaneum est Ixionem artissima familiaritate deorum usum esse, Prometheis fortasse similior fuit eius tragoedia quam Eumenidibus. Dolendum autem est, quod, quomodo Aeschylus hanc fabulam tractaverit, nescimus; neque tamen verisimile est pium illum poetam, qualem in Eumenidibus habemus, hac fabula usum non esse, ut maiestatem, clementiam, indulgentiam deorum superbiae hominis scelesti data opera opponeret, et, quomodo semper aliquando impia scelera iusta poena di ulciscerentur, demonstraret. Talis enim fabulae argumento religionem et verecundiam dis debitam celebrari opus erat, quam ob rem Ixione et Eumenidibus hoc idem demonstrari videtur, quo artius dei cum argumento cohaereant, eo magis tragoediam religione imbui.

Num etiam in antecedenti fabula, quam, ut iam vidimus, Perrhaebides esse voluit C. O. Mueller, dei apparuerint, certe nobis coniectare non licet. Sed potuit deus aliquis in fine introduci, qui Iovem Ixioni lustrationem esse paraturam renuntiaret, cui etiam versus *πρὶν ἂν σταλαγμοῖς κτλ.* tribuendi essent. Tum in hac tragoedia deus ille in fine apparuisset, quem *θεὸν ἀπὸ μηχανῆς* appellare consuevimus. Potuerunt autem in oraculo aut in vatis alicuius verbis illa exstare, quod si factum est, oraculo vel vatis oratione non minus deorum verba praebita sunt, quam si deus aliquis ea protulit. Sed etiam cum hac fabula sacratos ritus, quos ipsi dei instituerunt, habemus coniunctos, etsi qua ratione apud Aeschylum instituti vel allati sint, nescimus. Iovem enim ad Ixionem expiandum primas lustrationes condidisse ipse Aeschylus tradit (*πρωτοκτόνοισι προστροπαῖς Ἰξίονος* Eum. 718), quam ad rem etiam fragmentum, quod attuli, pertinet.

Etiam in iis tragoediis, quae Sisyphi fabulas spectant, deos introductos esse verisimile est, cum a Iove Sisyphus condemnatus sit, ut lapidem apud inferos volveret (Apollod. I 85, schol. Il. A VI 153 Dindorf). Damnatur autem, quod Asopo deo filiam a Iove raptam esse renuntiavit. Duas Sisyphos

Aeschylum scripsisse scimus (TGF p. 74 sq.), Sisyphum *Πετροκυλιστήν* et Sisyphum *Δραπέτην*, e quibus *Δραπέτην* fabulam satyricam fuisse fragmentorum sermone demonstratur[1]. Itaque postea de hac fabula agendum erit, cum de satyricis fabulis disseremus. *Πετροκυλιστῇ* autem, quale fuerit argumentum, certe enucleari non potest, nam varia de hac re conicere licet sed plane incerta.

In Danaidibus Venerem esse introductam Athenaeus tradit, cum XIII p. 600 B, fr. 44 N praebeat: *Καὶ ὁ σεμνότατος δ' Αἰσχύλος ἐν ταῖς Δαναΐσιν αὐτὴν παράγει τὴν Ἀφροδίτην λέγουσαν·*

ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν,
ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνατῆρος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔδευσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον
δένδρων ὀπώρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάνους
τέλειός ἐστι. τῶνδ' ἐγὼ παραίτιος.

Venus igitur sanctam amoris potentiam praedicans in Danaidibus erat introducta, quae quo loco aut quibus de causis apparuerit, non prius dici potest quam totum tragoediae argumentum inspeximus. Ipso autem titulo demonstratur de Danaidum fabula in illa tragoedia actum esse, quae non modo a mythographis (Apollod. II 12—24) sed etiam ab ipso Aeschylo traditur Prom. 853 sqq. Hac ex fabula, qua in tractanda Aeschylus carmen epicum, quod inscribitur Danais, secutus esse videtur[2], etiam Supplicum argumentum est desumptum, quam tragoediam eidem trilogiae atque Danaides tributam fuisse pro certo haberi potest[3].

---

[1] Cf. fr. 225 *σκάφη*, 226 *κατιλλώψας*, 227.

[2] Kinkel Epicorum Graecorum Fragmenta, Lipsiae 1871 p. 78. Welcker *Tril.* p. 390. N. Wecklein *Sitzungsber. der Münchener Akad., philos.-philol. u. hist. Klasse* 1893 II 393 sqq.

[3] Primus hoc vidit A. W. v. Schlegel *Über dramatische Kunst und Litteratur, Heidelberg* 1817 *Bd* I 158, qui trilogiam ex Aegyptiis (TGF p. 4), Supplicibus, Danaidibus compositam esse voluit, quam sententiam probavit Welcker *Tril.* p. 390 sqq. Rectius autem Hermann opusc. VIII 480 sqq. Supplices, *Θαλαμοποιούς* (TGF p. 26), Danaides trilogiae vinculo coniunxit.

Danaïdes, ut nuptias filiorum Aegypti patrui evitent, ex Aegypto egressae in Argos perveniunt. Ibi autem Danaus, quamquam Pelasgus, Argivorum rex, fugientes ab Aegyptiis persequentibus defendit, tamen denique filias illis nuptum collocare coactus iis imperat, ut in ipsis nuptiis sponsos trucident. Sola Hypermestra Lynceo sponso parcit, quo e coniugio Argivorum regum stirps exoritur. Haec ex ipso Aeschylo discimus; Apollodorus autem tradit Hypermestram primo a patre in vincula coniectam, tum Lynceo in matrimonium datam esse. Tale quid certe etiam apud Aeschylum exstabat, cum ipsa rei natura postularetur, ut pater ac sorores in illam, quae sponsum non interfecisset, inveherentur.

In Supplicibus, fabula adhuc exstanti, Danaus cum filiis Argos pervenit et a Pelasgo rege atque Argivorum populo auxilium impetrat. Qualis autem fabulae pars in Danaidibus sit tractata [1], ex fragmento 43 N apparet: *Κἄπειτ' ἄνεισι λαμπρὸν ἡλίου φάος, | ἕως ἐγείρω πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους | νόμοισι θέντων σὺν κόροις τε καὶ κόραις.* Haec verba Danaum esse locutum, cum explicaret, quomodo Lynceo esse temperatum cognovisset, Welcker et Hermann coniecerunt, neque potest negari verba *πρευμενεῖς τοὺς νυμφίους* optime crudeli ironia a Danao adhiberi potuisse. Sed, etsi certe demonstrari non potest, quisnam illa locutus sit, tamen apparet fragmentum desumptum esse ex oratione alicuius, qui postridie nuptias mane sponsos suscitare se voluisse narravit. Danaidum igitur argumentum res post caedem Aegypti filiorum factas comprehendisse constat. Tum autem nihil aliud hac tragoedia contineri potuit, nisi Hypermestram venia impetrata Lynceo nuptum esse collocatam. Quae cum ita sint, Venus initio fabulae, quae facta sunt, edocere et Hypermestram a Lynceo in matrimonium ductum iri renuntiare potuit, cui orationi verba, quibus amoris potentia collaudatur, inseri potuisse nemo non videt. Sed iure aliquis dubitet, num iam Aeschylus hoc loco rationem posteriorum Euripidis prologorum similem adhibuerit. Immo verisimilius est Venerem apparuisse, ut eam,

[1] De argumento huius fabulae egerunt Welcker *Tril.* p. 390 et Hermann opusc. II 319 sqq.

quae amore incitata crudele patris mandatum neglexit, a patris sororumque ultione defenderet et cum eo, cuius amore est inflammata, coniungeret. Magna autem cum probabilitate concludi potest Venerem etiam renuntiasse Lyncei et Hypermestrae coniugio praeclaram Argivorum regum stirpem esse orituram, id quod Prometheus quoque Ioni, e qua Danaidum et Argivorum genera erant procreata, est vaticinatus (cf. supra p. 17). Quod si ita est, *αἴτιον* regum Argivorum rettulit Venus.

Sed quod Aeschylus amoris deam introduxit, quae sublimibus verbis potentiam suam celebrans demonstrat omnia in terra et in caelo amore sanctisque nuptiis procreari et produci, hoc plane ex ludi sacri natura fecit, quippe quo deorum maiestas celebretur. Neque gravioribus laudibus haec efferri potest, quam si ab ipsis deis praedicatur.

Iam ad nonnullas tragoedias accedamus, quibus Troicae res aguntur quarumque argumenta ex epicis carminibus ad illas pertinentibus desumpta sunt. Hoc in numero sunt Myrmidones, Nereides, Phryges, in quibus Aeschylus Iliadem, et Armorum iudicium atque Psychostasia, in quibus, ut statim videbimus, cyclica carmina secutus est.

De Myrmidonibus, quibus Patrocli mortem esse tractatam luculenter docent fragmenta, disputaverunt Hermann opusc. V 136 sqq. et Welcker *Tril.* p. 415 sqq.[1], qui in plurimis rebus consentiunt ita tamen, ut Hermann complura multo rectius explicaverit. Hic iure Thetidem quoque in Myrmidonum fine introduxisse videtur. Achilles enim, postquam amicum mortuum magnis cum lamentationibus deflevit (fr. 135. 136. 138 N), vivacissime exclamat *ὅπλων, ὅπλων δεῖ* (fr. 140 N), cum arma, quae Patroclo mutua dedit, Hector ceperit, qua in re Aeschylum Homero assensum esse (*Π* 64 sqq., 130 sqq., *P* 125) hoc ipso fragmento demonstratur. Veri dissimillimum autem est, quod Welcker vocibus illis exclamatis statim tragoediam finitam esse censuit, cum omnibus spectatoribus esset notissimum tum Thetidem apparuisse, quae filium consolata nova

[1] Praeterea conferendus est N. Wecklein, qui denuo de Myrmidonibus Nereidibus Phrygibus egit (*Sitzungsber. d. Münchener Akad., philos.-philol. u. hist. Klasse* 1891 p. 327 sqq.).

arma a Vulcano se esse allaturam polliceretur. Neque ulla iusta causa proferri potest, qua commotus Aeschylus eam non introduxerit sed, id quod omni caret probabilitate, neminem omnino Achilli respondentem fecerit.

Myrmidones autem secuta videtur esse Nereides fabula, quam in sententiam Welcker, Hermann alii ierunt. Neque tamen multa de eius argumento proferri possunt, cum paucissima exstent fragmenta. Titulo autem docemur Nereides hac in fabula apparuisse, quas chori munere functas esse et eo verisimile fit, quod saepius e choro tragoediis tituli indebantur (cf. supra p. 21), et quod Aeschylus praeter Nereidum catervam vix aliam chori introduxit. Tum fr. 150N, quod Nereidibus in scenam procedentibus tribuendum est, anapaesticum rythmum praebet, quo saepius Aeschylei chori in parodis utuntur[1].

Nereidum autem chorum arma Achillis attulisse Welcker et Hermann consentiunt vetere anaglypho innisi, in quo illae arma apportantes effinguntur[2]. Huic sententiae graviter contradixit Wecklein l. l. p. 352 sq., cum fieri posse negaret, ut Nereidibus, non Thetidi, quae a Vulcano arma accepisset, illud officium tribueretur. Sed ipse Wecklein confitetur iure quodam ex Hygino (fab. 106) et Plauto (Epid. 36) conici posse in Enni fabula, quae inscribebatur Hectoris lutra[3], arma illa a Nereidibus esse allata. Ennius autem, sive hanc tragoediam, ut Ribbeckio videbatur[4], secundum Aeschyli Myrmidones, Nereides, Hectoris lytra, sive, ut Vahlen censuit[5], secundum Homerum, ita tamen, ut etiam Aeschyli illa dramata noverit, confecit, vix id, quod de Nereidibus videtur praebuisse, ipse sibi finxit, sed potius ex Graeco aliquo poeta, quo hac in

[1] Cf. parodos Persarum, Supplicum, Agamemnonis.

[2] De Nereidibus, quae arma Achillis portantes in imaginibus effictae sunt, cf. Baumeisterum I 732 sqq. et Weizsaeckerum in Roscheri lex. III 222 sqq. Apud Homerum sola Thetis arma a Vulcano affert (cf. Σ 139 sqq., 369 sqq., T 1 sqq.), sed iam in Cypseli arca ex Pausaniae testimonio (V 19, 8) Nereides eam, cum a Vulcano arma acciperet, comitabantur.

[3] Ribbeck TRF[3] p. 37 sqq.; Vahlen, Ennianae poeseos reliquiae, Lipsiae 1903 p. 144 sqq.

[4] *Die römische Tragödie*, *Leipzig* 1875 p. 126.

[5] Vahlen l. l. p. CCVII.

fabula conscribenda usus est, assumpsit. Hunc poetam, cum ab Homero illud alienum sit, Aeschylum fuisse facilis est coniectura.

Causas autem, quibus Wecklein demonstrare vult apud Aeschylum Nereides arma afferre non potuisse, tam leves sunt, ut nihil omnino iis ostendatur. Immo cum in Nereidum fabula illae adveniant (fr. 150 N):

δελφινοφόρον πεδίον πόντου
διαμειψάμεναι,

quocum consentiens Hyginus fab. 106 eas *per mare* arma afferentes facit, nonne facile conici potest ex Olympo progressas per mare Aegeum in Troadem Nereides transisse, nisi quis eas ex alia quadam Vulcani officina trans mare sita velut Lemno[1] venisse censet?

Una autem cum Nereidibus certe etiam Thetis apud Aeschylum prodiit. Reliquum vero fabulae argumentum dubium est, praeterquam quod magna cum veri specie Hermann censuit de Hectoris morte actum esse, cum Achilles armis acceptis ad pugnam proficisceretur, Nereidum chorus apud tentoria remaneret, dum Hectore necato Achilles victor rediret. Praeterea fortasse ante ipsam pugnam Agamemno Achilli reconciliatus est, id quod Wecklein l. l. p. 358 coniecit.

Quodsi Hermanni sententiae nos addicemus, Aeschylum in compluribus rebus ab Homero discessisse nobis censendum est. Nam in Iliade Nereides cum Thetide ad Achillem consolandum profectae (Σ 65 sqq.) paulo post rursus in mare dimittuntur (Σ 138 sqq.), atque sola Thetis filio Vulcania arma affert (*T* 1 sqq.).

Tertia trilogiae fabula *Φρύγες ἢ Ἕκτορος λύτρα* videtur fuisse, cuius argumentum quale fuerit, ipso titulo iisque locis, quos Nauck TGF p. 84 collegit, clare demonstratur. Ab ipso fabulae initio deus apparuit, cum in Aeschyli vita (Westermann Biogr. p. 119, 35, TGF p. 50) legamus: *Ἐν τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.* Mercurium autem eadem ratione atque in Iliade Priami comitem esse adhibitum ab Aeschylo, praeterquam quod apud Homerum Ω 468 sq. ante

[1] De Lemno Vulcani officina cf. Stollium in Roscheri lex. I 2071.

Achillis tentorium abeat, in Phrygibus Priami adventum Achilli renuntiet, Welcker contendit *Tril.* p. 424 sq. Quo reiecto Hermann opusc. V 157 sq. Mercurium apud Aeschylum Achilli imperasse iudicat, ne vim inferat seni sed Hectoris corpus reddat, quo munere in Iliade Thetis fungitur Ω 64 sqq. Melius autem mihi videtur duas virorum doctorum sententias eo coniungere, ut censeamus Mercurium et Priami adventum renuntiasse vel, ut Weckleinio l. l. p. 358 sqq. videtur, ipsum Priamum cum comitibus in tentorium duxisse et Iovis iussu verba illa, de quibus Hermann cogitavit, edixisse. Neque enim habemus, cur in Phrygibus Priamum non a Mercurio ad Achaeos deductum esse censeamus, et si apud Aeschylum deus ille, cum comitis munere perfunctus esset, non ut apud Homerum discessit sed cum ipso Achille verba fecit, vix de certa deorum voluntate tacere potuit.

Has in tragoedias ad epicum exemplar compositas etiam dei ex epicis carminibus translati sunt: Thetidem, Nereides, Mercurium inde assumpsit Aeschylus, etsi, ut modo demonstravimus, cum in Phrygibus tum in Nereidibus ipsas res paulo aliter atque Homerus disposuisse videtur.

Thetis in Armorum iudicio quoque apparuit, cum in scholio Arist. Acharn. 883, fr. 174 N legamus: *Ὁ στίχος ἀπὸ δράματος Αἰσχύλου ὅπλων κρίσεως ἐπιγραφομένου, ἐν ᾧ ἐπικαλεῖται τὰς Νηρηίδας τις ἐξελθούσας κρῖναι πρὸς τὴν Θέτιν λέγων· δέσποινα πεντήκοντα Νηρήδων κορᾶν.* Hac ex fabula etiam versus, quos Plato de re publ. II p. 383 B, fr. 350 N servavit quibusque Thetis filium ab Apolline, qui ipse nuptiis suis interfuisset carminibusque cenantes delectasset, necatum esse queritur, desumptos esse Ernestum quendam Schneider secutus Hermann fortasse recte contendit (opusc. VII 364)[1].

[1] Contradixit huic sententiae A. Baumstark *Die zweite Achilleustrilogie des Aischylos* Philolog. *N. F.* IX (1896) 277 sqq., cum locum, de quo agitur, ex illa tragoedia desumptum esse censeret, quam cum Psychostasia et Memnone trilogiae vinculo coniunctam quaque de Achillis morte actum esse iudicat. Hac de fabula ne unum quidem veterum testimonium exstat, sed solae recentium philologorum velut Hermanni (opusc. VII 347, 356 sqq.) et ipsius Baumstarkii coniecturae; tamen facillime titulus fabulae, quem *Ληϊτιδας* fuisse Baumstark conatur demonstrare, in quinta catalogi Medicei columna

Thetidem autem Achille mortuo iam in Aethiopide, carmine cyclico, castra Achaeorum intrasse filiumque deplorasse Procli argumento (Kinkel ep. gr. fr. p. 34) demonstratur. Apud hunc, postquam exposita sunt, quae modo commemoravi, legimus: *Καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τῆς πυρᾶς ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς τὴν Λευκὴν νῆσον διακομίζει. οἱ δὲ Ἀχαιοὶ τὸν τάφον χώσαντες ἀγῶνα τιθέασι, καὶ περὶ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων Ὀδυσσεῖ καὶ Αἴαντι στάσις ἐμπίπτει.* Quo ex loco apparet in Aethiopide iam ante ludos funebres armorumque iudicium Thetidem, cum filium e rogo eripuisset, abisse, quam ipsi iudicio apud Aeschylum interfuisse fragmento 174, quod attuli, docemur. Haec autem Aeschyli eiusque, qui Aethiopidem conscripsit, dissensio facillime explicatur, si tragoediae argumentum non ex Aethiopide, sed ex parva Iliade desumptum esse censemus, cuius initio idem iudicium cantatum erat (Kinkel l. l. p. 36). Itaque optimo iure Nauckio assentiri licet, qui TGF p. 57, quod Aristoteles in arte poetica 23 p. 1459 b secundum parvam Iliadem inter alias tragoedias *ὅπλων κρίσιν* confectam esse testatur, hoc de Aeschylea fabula dictum esse iudicat, praesertim cum alterius *ὅπλων κρίσεως* vestigia in tragicorum Graecorum reliquiis non exstent. Eadem autem rerum dispositio, quam apud Aeschylum invenimus, Iliadis quoque parvae auctori eo magis tribui potest, quod eam veteribus poetis epicis ignotam non fuisse Odysseae carmen docet. In hac enim Thetis ω 85 sqq. in filii honorem ludos funebres edit et λ 544 sqq. Ulixis et Aiacis discordiae oriuntur, postquam ipsa Thetis Achillis arma Achaeis praemia proposuit[1]. Secundum

---

post quartae columnae vocem *Λήμνιοι* intercidere potuit (cf. de hoc catalogo A. Dieterich l. supra p. 19 l.). Sane quod contendit Baumstark illa Thetidis verba, si Armorum iudicio tribuantur, prologo esse inserenda, a prologo autem verborum *τὸ πάθος* abhorrere, id iusto caret fundamento. Nam Thetis haec in primo actu apud Achaeos proferre potuit, quo loco cur acerrimis verbis ea uti non potuerit, intellegere nequeo. Itaque Baumstarkio non contigit, ut falsam esse Hermanni sententiam demonstraret, sed cum haec quoque argumentis plane certis firmari non possit, concedendum est, si quidem Aeschylus tragoediam de Achillis morte conscripsit, fieri potuisse, ut in huius quoque fabulae exodo Thetidis illa querimonia inesset.

[1] Eandem atque Aeschylus dispositionem praebet etiam Quintus Smyrnaeus, qui in Posthomericis suis ea, quae in veteribus carminibus

epicum igitur et, ut magna cum veri specie iudicare licet, Iliadis parvae exemplum Aeschylus Thetidem in Armorum iudicio adhibuit.

Psychostasiam autem fabulam inde esse appellatam, quod in ea Achillis Memnonisque animae pensitabantur, aliquot locis, quos Nauck TGF p. 88 sq. collegit, demonstratur. Quorum praecipuos nunc afferamus. Pollux IV 130 (Bekker) praebet: *Ἀπὸ δὲ τοῦ θεολογείου ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνὴν ἐν ὕψει ἐπιφαίνονται θεοί, ὡς ὁ Ζεὺς καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ἐν Ψυχοστασίᾳ.* Plutarchus de aud. poet. c. 2 p. 17 A Aeschyli tragoediam comparans cum Iliadis psychostasia X 210—213, ubi Iuppiter Hectoris et Achillis sortes pensitat, haec profert: *Ἐπὶ τοῦ Διὸς εἰρηκότος Ὁμήρου* — sequuntur Iliadis illi versus — *τραγῳδίαν ὁ Αἰσχύλος ὅλην τῷ μύθῳ περιέθηκεν ἐπιγράψας Ψυχοστασίαν καὶ παραστήσας ταῖς πλάστιγξι τοῦ Διὸς ἔνθεν μὲν τὴν Θέτιν, ἔνθεν δὲ τὴν Ἠώ, δεομένας ὑπὲρ τῶν υἱέων μαχομένων.* Iuppiter igitur eadem ratione, qua apud Homerum Achillis et Hectoris sortes ponderat, ab Aeschylo in Psychostasia Achillis et Memnonis animas pensitans erat introductus. In Aethiopide autem, in qua de Achillis Memnonisque pugna agebatur (Kinkel l. l. p. 33) quoque carmine in rebus ad hanc pugnam pertinentibus Aeschylum usum esse per se intellegitur, non ut apud Homerum Iuppiter sed Mercurius animas heroum ponderavit, id quod magna cum veri specie Carolus Robert demonstravit[1]. Aeschylus igitur ipsam psychostasiam in

cyclicis de rebus apud Troiam post Iliadis finem gestis tradebantur, denuo cecinit. Neque tamen ex hoc poeta de Iliadis parvae vel omnino de cyclicorum carminum argumentis quicquam certi conicere licet. Eum enim in opere suo conscribendo iam non ipsis cyclicis carminibus sed praecipue Homero et enchiridio quodam mythographico, in quo similiter atque in Apollodori bibliotheca res Troicae breviter erant enarratae, usum esse, alia autem ex recentioribus poetis velut ipsis tragicis et Alexandrinis eorumque et Homeri scholiis desumpsisse, alia ex ipsius arbitrio commutasse nunc inter plurimos viros doctos videtur constare. Conferendi sunt hac de re A. Koechly in Quinti editione maiore, Lipsiae 1850 p. X sqq., F. Kehmptzow, de Quinti Smyrnaei fontibus ac mythopoeia dissert. Kiliae 1891, Ferd. Noack, qui in ephemeride, quae vocatur *Göttingische gelehrte Anzeigen*, 1892 p. 769 sqq. de dissertatione, quam modo commemoravi, rettulit, Baumstark l. supra p. 29 l. p. 282 sqq.

[1] *Bild und Lied, Philol. Untersuchungen* V (1881) 143 sqq.

Aethiopide invenit, sed in partibus deorum disponendis Homerum secutus Iovi non Mercurio libram tribuit, ita ut clare videamus ad epicum exemplum in Psychostasia deos Aeschylum adhibuisse, id quod etiam veteres non effugit[1], eo autem more, ut Iliadem cum Aethiopide contaminaret.

Iam si quaerimus, qua ratione illi dei apparuerint, haec quaestio absolvi non potest, nisi totum fabulae argumentum quale fuerit, diiudicamus. Qua in re Welcker *Tril.* p. 430 sqq. et Hermann opusc. VII 343 sqq. consentientes censuerunt hac in tragoedia non modo ipsam psychostasiam sed etiam Achillis Memnonisque monomachiam huiusque herois mortem infuisse. Baumstark autem l. supra p. 29 l. p. 289 sqq. fuse demonstrare studet solam psychostasiam in Ida monte factam hoc in dramate tractatam esse atque ipsius fabulae partes per solos deos: Iovem et fortasse Minervam, Auroram, Thetidem, chorumque Atlantidum, quem ipse sibi finxit Baumstark, esse actas. Memnonis autem interitum in alia fabula, in Memnone (TGF p. 41 sq.) infuisse, qua in tragoedia de Antilochi morte actum esse Hermann opusc. VII 347 censuit, cum quod Welcker *Tril.* p. 435 sq. Psychostasiam et Memnonem eandem fabulam fuisse voluit, hoc falsum esse recte cognosceret.

Praecipue Baumstark, ut cetera eius argumenta, quae dicuntur, quibus autem nihil demonstratur, mittamus, illo Plutarchi loco nititur, quem supra p. 31 attuli quoque legimus Aeschylum *ὅλην τραγῳδίαν τῷ μύθῳ* i. e. rei, quam Homerici illi versus spectant, scilicet psychostasiae circumdedisse. Verba autem *ὅλην τραγῳδίαν* ita esse interpretanda Baumstark iudicat, ut tota hac fabula nihil aliud nisi solam psychostasiam comprehensam fuisse intellegamus. Sed hunc sensum Plutarchi verbis de suo ille imputat, nam si legimus 'eis, quae Homerus paucis versibus illis absolvit, Aeschylus totam tragoediam circumdedit, ita ut ipsam fabulam Psychostasian appellaret', inde minime sequitur, ut in tota illa tragoedia ipsa psychostasia nullis aliis rebus circumdata fuerit, quibus additis argumentum tragoediae sufficiens efficeretur. Summum igitur Baumstarkii argumentum nullum est, atque tota illius

[1] Cf. locum, quem attuli, Plutarchi; Eust. in Iliadis comm. p. 1266, 37 ed. Rom.; schol. *A* Il. *Θ* 70 (Dindorf).

coniectura eo plane refutari mihi videtur, quod ex Pollucis testimonio (l. supra p. 31 l.) dei in Psychostasia *ἀπὸ τοῦ θεολογείου ὄντος ὑπὲρ τὴν σκηνὴν ἐν ὕψει* apparuerunt. In fabula enim, quae ut Baumstarkii Psychostasia per solos deos agitur, ita ut homines omnino non prodeant atque histriones chorusque divina natura sint praediti, hi dei non *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* sed in ipsa scena i. e. Aeschyli temporibus in orchestra[1] apparent velut dei in Prometheis prodeuntes[2]. Sed *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* dei in iis fabulis producuntur, in quibus ab hominibus in ipsa scena vel orchestra agentibus debent secerni. Qua tamen de causa in ea Psychostasia, quam Baumstark Aeschylo imputare conatur, in ceteris argumenti partibus Thetis, Aurora, Minerva chorusque divinus in orchestra, in ipso autem animas ponderando Iuppiter, Thetis, Aurora in *θεολογείῳ* appareant, omnino intellegi non potest, praesertim cum ceterae illae partes tragoediae eodem loco agantur atque psychostasia: in ea scilicet Idae montis regione, in qua Iuppiter moratur, quem Aurora et Thetis, ut pro filiis suis eius gratiam implorent, conveniunt.

Quae cum ita sint, elucet in Psychostasia Aeschyli humanas res in orchestra esse actas, deos autem, ut ab hominibus secernerentur, supra orchestram in *θεολογείῳ* i. e. Aeschyli aetate fortasse in pulpito quodam vel in tecto scenae[3] apparuisse. Sed si humanae quoque res hac in fabula inerant, Memnonis Achillisque pugnam Memnonisque mortem esse tractatas per se intellegitur, ita ut Baumstarkii sententia prorsus reiecta Welcker et Hermannus nobis sequendi sint.

Ea autem de causa, ut facile licet cognoscere, Aeschylus

---

[1] Doerpfeld-Reisch l. supra p. 2 l. p. 176 sqq. 218 sq.

[2] Cf. Prometheum Vinctum, quae fabula adhuc exstat, et locum *ἐκ τῆς μουσικῆς ἱστορίας* desumptum, quem supra p. 12 attuli quoque de Prometheis legimus: *Ἔστι τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ τῆς ὀρχήστρας θεῖα πάντα πρόσωπα.* Hoc loco *τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς πρόσωπα* histriones sunt, *weil sie in der Skene wohnend gedacht sind, aus der Skene hinaustreten und von dort her sprechen* (Doerpfeld-Reisch l. l. p. 284). Itaque haec *πρόσωπα* non magis super orchestram elata sunt quam *τὰ ἀπὸ τῆς ὀρχήστρας πρόσωπα.*

[3] Pollux, cum de *θεολογείῳ* verba faciat, fortasse de posteriorum temporum aedificio scenico cogitat, in quo dis certus locus, quo prodirent, erat tributus (cf. Doerpfeld-Reisch l. l. p. 218 sq.).

in Psychostasia Iovem ceterosque deos non ut Minervam et Apollinem in Eumenidibus ad ipsos homines fecit descendentes sed procul ab hominibus *ἐν ὕψει* introduxit, quod psychostasiam epico exemplo usus in Olympo[1] vel in Ida, certe loco aliquo superiore, ex quo dei sicut apud Homerum hominum proelia spectabant, factam esse voluit. Atque Welcker quidem *Tril.* p. 434 putabat eodem more, qui in vasis pictis adhibetur, uno tempore Aeschylum in orchestra Achillem et Memnonem pugnantes, in pulpito Iovem libram manibus tenentem et Thetidem Auroramque praebuisse, quae in tragoedia gestibus non verbis supplicassent. Recte autem Hermann opusc. VII 351 sqq. Welckeri sententiae opposuit neque ullo testimonio confirmari Aeschylum pugnantes in scenam produxisse neque omnino credibile esse uno eodemque tempore oculos animosque spectantium in duas res et loco et genere diversas a poeta esse intentos. Propterea verisimile est psychostasiam, cum omnes de scena in proelium discessissent vel solus chorus remansisset, spectatoribus esse propositam, pugnam ipsam postea nuntiatam.

Sed etiam alio Psychostasiae loco deus videtur apparuisse, cum Pollux iis, quae antea p. 31 exscripsi, addat: *Ἡ δὲ γέρανος μηχάνημά ἐστιν ἐκ μετεώρου καταφερόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ σώματος, ᾧ κέχρηται Ἠὼς ἁρπάζουσα τὸ σῶμα τοῦ Μέμνονος.* Haec tam arte cum antecedentibus cohaerent, ut, praesertim cum de eodem Memnone res sit, dubium non videatur, quin etiam Aurora filium rapiens e Psychostasia Aeschyli sit desumpta. In Aethiopidis argumento nihil aliud legimus nisi Iove probante Auroram filio immortalitatem donasse (Kinkel l. p. 24 l. p. 33), sed Aeschylus, etiam cum illam filium auferentem introduceret, exemplum epicum secutus est, si non Aurorae at tamen Thetidis, a qua filium e flammis ereptum in Leucam insulam esse traductum Aethiopidis auctor narravit (cf. supra p. 30). Quomodo autem Aeschylus hoc loco introduxerit Auroram, incertum est, cum iure viri docti dubitaverint, num machinas tam artificiosas iam ille adhibuerit, ut

[1] In Olympo Iuppiter Hectoris Achillisque sortes apud Homerum pensitat, cf. X 165 sqq., praecipue X 187.

deam per aerem devolantem spectantibus demonstraret atque Pollux, cum de γεράνῳ illo loquatur, machinam spectare possit, quae posteris tantum temporibus in fabula illa Aeschylea adhibebatur, Aeschylo autem ipsi erat ignota[1].

Quodsi quis has tragoedias, quibus de Troicis rebus agitur, cum illis comparabit, quas antea perlustravimus, non eandem utrisque indolem esse cognoscet. Priores enim tragoediae Danaidibus, de quibus statim loquemur, exceptis artissime cum religione cohaerent et religioni inserviunt, cum in iis aut cultus ritusque instituantur aut de factis deorum agatur aut, quomodo dei sceleratos homines ulciscantur, demonstretur. In tragoediis alterius generis facta sortesque heroum celebrantur. Neque tamen plane ad hoc neque ad illud genus pertinent Danaides, cum haec fabula ut heroum sortes contineat ita Venere, quae gravissime et religiosissime amoris sanctitatem praedicat, introducta etiam cum religione coniungatur.

Quod prioris generis tragoedias attinet, Prometheorum argumenta Aeschylus videtur desumpsisse ex carmine quodam epico, quod more Titanomachiae, quae dicitur cyclica[2], vel Theogoniae Hesiodi compositum res ad Prometheum pertinentes continebat. Ceterarum prioris generis fabularum argumenta, quamvis interdum etiam apud epicos commemorata esse possint, velut Homerus in Iliade VI 130 sqq. de Lycurgo verba facit, tamen fusius in carminibus epicis tradita esse nescimus. Qua de causa concludendum est his in fabulis, quibus deorum potentia et maiestas praedicantur, Aeschylum hymnos sacros Homericorum, qui dicuntur, hymnorum similes secutum esse, quibus deorum facta canebantur. Sic, ut exemplum afferam, septimo hymno Homerico, quomodo Liber piratas Tyrrhenos ultus sit, enarratur eodem modo, quo Aeschylus poenas, quibus Lycurgus et Pentheus ab eodem Dionyso affecti sunt, in tragoediis proposuit. Praeterea autem ex fabulis, quae vulgo aut ab sacerdotibus templorum de dis tradebantur neque tamen iam in hymnos transierunt, tragoediarum ad deorum facinora pertinentium argumenta Aeschylus desumere potuit.

---

[1] Cf. Doerpfeld-Reisch *Griech. Theater* p. 219.

[2] Kinkel l. p. 24 l. p. 5 sqq.

Alterius generis tragoediarum et Danaidum argumenta ex carminibus heroicis desumpta esse iam vidimus.

Dei, quos in prioris generis tragoediis invenimus adhibitos, sicut totae huius speciei tragoediae religioni inserviunt, cum homines divina maiestate et potentia demonstratis ad pietatem erga deos excitent, a sceleribus deterreant, cultus ritus mores instituant, nomina deorum voluntate indita vaticinantes explicent.

Hac a ratione deos adhibendi satis ea differt, quam carminum heroicorum auctores sequuntur quamque praecipue ex Homeri Quintique Smyrnaei operibus cognoscimus. Quintus enim, etsi praeter Homerum recentiores quoque poetas aliosque fontes secutus est (cf. supra p. 30 sq.), tamen totum saltem veteris epici carminis colorem plerumque servavit, id quod praecipue Koechly in Quinti editione p. XXVI sq. vidit. His igitur in carminibus dei non rebus ad religionem pertinentibus consulere neque hominum moribus ad melius deducendis curare solent, sed ut ipsi homines suis quisque rebus providere: eos, quibus favent, adiuvant, quos odio persequuntur, impediunt, quae in animo habent, omni modo perficere conantur, agunt denique, quasi homines essent divinis viribus praediti. Atque uno tantum loco in epico quodam carmine deum de cultu aliquo instituendo verba facientem inveni, cum apud Quintum Smyrnaeum III 766 sqq. Achille mortuo Neptunus effecturum se esse profiteatur, ut ille divinis honoribus celebretur. Neque tamen hoc affertur, ut animi audientium ad religionem convertantur, sed ea sola de causa, quod Neptunus Thetidem filii morte graviter afflictam consolari studet. Fortasse autem etiam haec cultus condendi commemoratio, quamvis epicae rationi aptata sit, non ad veteris cuiusdam epici exemplum confecta, sed e tragoedia quadam ipsius Aeschyli desumpta est [1].

Sed non solum agendi verum etiam loquendi ratio, qua heroicorum carminum di utuntur, diversa est ab indole illis deis Aeschyleis propria. In illis enim carminibus di non aliter

[1] Baumstark l. supra p. 29 l. p. 287 et 302 demonstrare conatur ex tragoedia illa Aeschylea, qua de Achillis morte actum esse vult, a Quinto Neptuni Thetidisque colloquium esse assumptum. Atque Quintum tragoediis Aeschyli Troicis usum esse mox videbimus.

loquuntur atque ipsi homines, id quod quovis exemplo adhibito facile videbis. In tragoediis autem prioris illius generis deorum sermo multo sublimior et sanctior est, ita ut nullo heroicorum carminum loco deum sis inventurus eo more verba facientem, quo Minerva in Areopago instituendo, Venus in amore praedicando utitur.

Quodsi et agendo et loquendo dei tragoediarum prioris generis differunt a deorum in carminibus heroicis apparentium more, sequitur, ut Aeschylus in deis illis adhibendis exemplo illorum poematum usus non sit. Facile autem videmus hanc deos introducendi rationem cum religione cohaerentem et religioni inservientem ea de causa in tragoediis esse adhibitam, quod ipsa tragoedia sacer ludus erat, quippe quae ex hymnis in honorem Liberi patris cantatis exorta ut cultus pars ageretur. Hoc in ludo sacro, quo deorum gloria celebrabatur, si quis deus in scenam producebatur, ex ipsa ludi natura de rebus religiosis verba fecit et ea sermonis sublimitate usus est, quae deum ab hominibus cultum decebat. Atque iam antea p. 8 vidimus non modo vim atque maiestatem deorum et in hymnis et in tragoediis celebratas esse sed etiam ea, quae dis auctoribus inter homines instituta erant. Ergo *αἴτια* illa ex ipsa ludi sacri indole cum deorum introductione cohaerent, atque eadem allata invenimus in carminibus epicis res divinas continentibus velut in Theogonia Hesiodi[1] et in hymnis Homericis (cf. supra p. 8), eademque certe etiam in fabulis illis sacris a populo et a sacerdotibus traditis inerant, velut Euripides quoque in Iphigenia Taurica *αἴτιον* cultus Dianae Brauroniae e fabulis videtur desumpsisse, quae a sacerdotibus illius deae tradebantur[2]. *Αἴτια* igitur in iis ipsis fontibus occurrunt, quos Aeschylum in componendis prioris generis tragoediis secutum esse suspicabamur. Quod autem heroica carmina attinet, apud Homerum uno tantum loco, quantum memini, Il. VI 201 sq. *αἴτιον* aliquod scilicet *τοῦ Ἀληίου πεδίου* obiter attingitur, et si Quintus paulo saepius *αἴτια* affert, id, quo de Achillis cultu agitur (cf. supra p. 36),

[1] Ut exemplum afferam, Hes. Theog. 535—557 (Rzach) sacrificiorum *αἴτιον* praebetur.

[2] Cf. A. Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1261.

fortasse ex ipsa poesi tragica assumptum est, aliud, quo ortus avium Memnoniarum explicatur (II 642 sqq.) Ovidio vel alii *μεταμορφώσεων* poetae videtur deberi[1], reliqua velut Paphlagonii (II 556 sqq.) et Glauci (IV 11 sqq.) fluminum origines et ipsa ex posteriorum temporum auctoribus desumpta esse possunt. Itaque ne Quinti quidem poemate demonstrari potest *τοῖς αἰτίοις* in veteribus heroicis carminibus, quae praeter Homerum iam Aeschylus potuit adhibere, plus momenti concessum esse quam apud hunc ipsum Homerum vidimus.

Vetustioribus igitur in tragoediis, quibus primo Liber tum etiam alii dei colebantur, sola illa ratione ludo sacro propria deos esse adhibitos certe concludi potest, nam quomodo in fabulis, quae ex sacris hymnis ortae ad deorum cultum pertinebant, dei more carminum heroicorum apparuerint? Ac postea, cum iam ex his ipsis carminibus tragoediarum argumenta assumebantur, etiam tum in tragoediis „heroicis", ut ita dicam, saepe dei ludi sacri ratione sunt introducti, id quod Aeschyli Danaides et, ut postea videbimus, Sophoclis Aiax et Euripidis, qui dicuntur, dei ex machina demonstrant. Tamen ipsa rei natura ferebat, ut interdum tragici a poetis heroicis cum argumentis etiam modum deos in iis adhibendi susciperent. Atque in Aeschyli fabulis Troicis plane ad heroicorum carminum exempla compositis, in quibus etiam dei ex illis poematis assumpti sunt iisque fere argumenti locis introducti esse videntur, quibus in illis apparuerunt, deos etiam more carminum heroicorum adhibitos esse vel per se verisimile est et uno loco clare potest demonstrari. Thetis enim verbis, quae Plato servavit quaeque Schneider et Hermann Armorum iudicio tribuerunt (cf. supra p. 29 sq.), plane ut mulier mortalis quaedam Apollinis crudelitatem queritur, quo loco quam arte Aeschylus heroici carminis dictioni tragicam orationem aptaverit, e loco quodam Quinti Smyrnaei elucet. In libro enim tertio Posthomericorum v. 98—106 eadem verbo tenus fere cum Aeschyli loco consentientia Iuno Apollini exprobrat, ita ut paene conicias et Aeschylum et Quintum eundem veteris cuiusdam epici locum esse imitatos. Sed quoniam cyclica

[1] Cf. l. supra p. 31 l. F. Kehmptzow p. 45 et Ferd. Noack p. 802 sqq.

carmina Quintus, ut iam antea p. 30 sq. diximus, iam non videtur adhibuisse, magna cum veri specie Kehmptzow l. ibidem l. p. 16 et Baumstark l. supra p. 29 l. p. 281 iudicaverunt ad ipsius Aeschyli exemplum Quintum, quae praebet, composuisse[1]. Tantum igitur coloris epici his in versibus Aeschyleis inest, ut ab epico poeta paene non commutati eius ipsius operi inseri potuerint. Neque tamen dici potest, quantum etiam ludi sacri ratio in Troicas Aeschyli fabulas translata sit. Nam si recte Baumstark coniecit iam in Aeschyli tragoedia, qua de Achillis morte ageretur, Neptunum Achillis cultum condidisse (cf. supra p. 36), eadem ex ludi sacri ratione in tragoedia fieri potuerunt, quae postea Quintus heroico carmini aptavit. Atque si revera in exitu huius tragoediae Neptunus sacra instituens prodiit, hic deus illis *θεοῖς ἀπὸ μηχανῆς* simillimus fuit, quibus postea praecipue Euripides utebatur.

Hucusque eos spectavimus deos, qui severo more in tragoediis apparuerunt, hilari autem atque iocantes dei in Cabiris[2] Aeschyli producti sunt, cuius tragoediae[3] argumentum ex poemate quodam epico, quo de Argonautarum expeditione agebatur[4], desumptum esse verisimile est. Fragmento enim 96 N et eis, quae Athenaeus X p. 428 F, TGF p. 31 et Plutarchus quaest. conv. II 1, 7 p. 632 F, fr. 97 N tradunt, clare ostenditur de opulenta cena ab Argonautis Lemni parata rem fuisse, unde nuptias Iasonis et Hypsipylae aliorumque Argo-

---

[1] Plane a vero aberravit Koechly, qui in Quinti editione p. XXV contendit versibus Aeschyli et Quinti *aliquid similitudinis* inesse *nec tamen tantum, ut* Quintum *ex Tragico eos transtulisse putemus.* Immo non quodam modo similes sunt hi versus, sed paene iidem.

[2] Conferendi sunt hac de fabula Welcker *Tril.* p. 313 sqq., Hermann opusc. II 125, Wecklein *Über die dramatische Behandlung des Telephosmythus und über die Dramen Ὀστολόγοι, Κάβιροι, Σύνδειπνοι, Sitzungsberichte d. Münchener Akad., philos.-phil. u. histor. Klasse* 1909 fasc. 1 p. 11 sq.

[3] Tragoediam, non satyricam fabulam fuisse Cabiros testatur Athenaeus l. paulo infra l. in contextu.

[4] Epica carmina de Argonautis confecta iam ante Aeschylum fuisse constat, certiora autem de iis nescimus. Cf. de hac re, quae Seeliger apud Roscherum s. v. *Argonautai* I 510 sq. praebet.

nautarum et mulierum Lemniarum argumentum tragoediae praebuisse probabiliter Welcker *Tril.* p. 313 coniecit. Apparuerunt autem Cabiri, qui daemones in Samothracia et Lemni colebantur[1] quosque ipsos in scenam prodiisse e Plutarchi loco, quem modo commemoravi, elucet. Legimus enim Cabiros apud Aeschylum per iocum minatos esse acetum e domibus se esse remoturos, id quod recte Lobeck Aglaopham. p. 1207 sq. explicasse videtur, dum Cabiros Argonautis familiariter hospitium parantes iocose minatos esse censuit, tantam vini copiam se esse prolaturos, ut in domibus ne gutta quidem aceti sed solum vinum inveniretur. Hoc loco, id quod recte iam Welcker *Tril.* p. 314 vidit, demonstratur tamquam deos Cabiros hac in fabula Aeschylea esse productos, nam soli dei ex sua potentia vinearum ubertatem augere possunt. Atque vini multitudine omnes Argonautae ebrii sunt facti (Athen. l. l.). Ipsi autem Cabiri has partes agunt, quod una cum Vulcano vinearum Lemniarum tutores putabantur[2]. Qui quomodo apparuerint, nescimus. Sed Welckeri sententia, qui chorum ex iis compositum fuisse censebat (*Tril.* p. 314), titulo magis probatur, quam quod Hermann opusc. II 125 Argonautarum chorum adhibitum fuisse voluit[3]. Neque in eo haerendum esse Welcker recte explicavit, quod ex tribus in chorum aucti sunt Cabiri, cum plane idem in Eumenidibus factum sit. Certe autem in Cabiris fabula maxima deorum hominumque familiaritas inerat, cum dei ad homines devertentes iucundo convivio cum eis coniungerentur et iocis alteri alteros delectarent (*παίζοντες ἠπείλησαν* sc. Cabiri Plut. l. l.). Religioni igitur tales dei vix inserviebant. Sed in carminibus heroicis tam artae deorum hominumque consuetudinis exempla non desunt. Sic in Cypriis (Kinkel l. p. 24 l. p. 17) dei hominesque in Pelei Thetidisque nuptiis eadem cena fruebantur, atque apud Phaeacas, quibus cognatio quaedam cum dis intercedebat, in dapibus ipsos deos interesse Alcinous Ulixi narrat (Odyss. VII 201 sqq.). Itaque Aeschylus fortasse iam in illo

[1] Welcker *Tril.* p. 160 sqq.; Lobeck, Aglaophamus p. 1212 sqq.; Bloch apud Roscherum s. v. *Μεγάλοι θεοί.*

[2] Preller-Robert *Griechische Mythologie* p. 176 sq.; cf. etiam Welckerum *Tril.* p. 316.

[3] Cf., quae supra p. 21 ad Toxotides adnotavi.

carmine heroico, ex quo Cabirorum argumentum eum desumpsisse suspicati sumus, Cabiros Argonautis hospitium praebentes invenit. Hoc si factum non est, epica illa vel similia exempla secutus eos introduxit.

Ratione carminis heroici etiam Boreas in Orithyia, qua fabula Orithyiae raptus est tractatus[1], videtur esse introductus; incertum autem est, num ab epico quoque poeta argumentum sit desumptum.

In Heliadibus, quibus de Phaetontis morte actum esse e fragmentis Hermann opusc. III 130 sqq. coniecit, deum aliquem apparuisse e Plinii loco fortasse concludi potest, qui nat. hist. 37 § 31, fr. 73 N tradit secundum Aeschylum aliosque poetas Phaetontis sorores fratris mortem lugentes in populos esse commutatas atque ex lacrimis earum *ἤλεκτρον* ortum esse, cui nomen esset inditum a voce *ἠλέκτωρ*, Solis cognomine. Haec si ab Aeschylo in Heliadibus dicta sunt, commutationem quidem Heliadum a nuntio aliquo relatam esse aliquis censeat, tamen solis deorum verbis aut ab ipso aliquo deo aut per oraculum traditis explicari potuit lacrimas virginum in electrum commutatum et e Solis cognomine appellatum iri. Fortasse igitur in Heliadibus quoque *αἴτιον* a deo relatum inerat; sed etiam in alia tragoedia *ὡς ἐν παρέργῳ* haec referri potuerunt, velut eadem in Euripidis Hippolyto chorus canit (v. 735 sqq.).

Fortasse etiam in Aetnis[2] dei apparuerunt, quam fabulam Aeschylus conscripsit, ut Aetnam, oppidum ab Hierone conditum, celebraret, vel, ut ipsius Aeschyli vitae (Westerm. Biogr. p. 120, 52) verba afferam, *οἰωνιζόμενος ἐντεῦθεν βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικίζουσι τὴν πόλιν*. Quattuor autem huius fabulae versus servati sunt a Macrobio Sat. V 19, 17 (Eyssenhardt), fr. 6 N ad cultum Palicorum pertinentes, quos Siculi apud lacum ex illorum nomine appellatum celeberrimis sacris colebant[3]:

---

[1] Cf. locos, quos Nauck TGF p. 89 attulit.

[2] De titulo cf. U. de Wilamowitz l. p. 2 l. p. 55 adn. 14, Hermes XXXII (1897) 395.

[3] Cf. Blochium in Roscheri lex. s. v. *Paliken*.

Τί δῆτ' ἐπ' αὐτοῖς ὄνομα θήσονται βροτοί;
σεμνοὺς Παλικοὺς Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.
ἦ καὶ Παλικῶν εὐλόγως μενεῖ φάτις;
πάλιν γὰρ ἵκουσ' ἐκ σκότου τόδ' εἰς φάος.

Habemus igitur *αἴτιον* cultus nominisque Palicorum. Optime autem accidit, quod verborum formae, quamvis parum sibi constent in libris mss., tamen certe restitui possunt. In primo enim versu alii libri praebent *τίθωνται*, alii *θήσονται*, quo loco futurum tempus eo confirmatur, quod neque *τίθωνται* neque *τίθενται* metro satisfacit. Itaque in tertio quoque versu *μενει* pro futuro legendum est, in quarto autem, in quo libri *ἵκουσ'* vel *ἥκουσ'* praebent, *ἵκουσ'* Aeschyleum esse certe apparet[1]. Quodsi in primo et tertio versibus futurum tempus, in quarto praesens pro futuro adhibitum invenimus, locus ad Palicorum cultum instituendum pertinet versusque alter et quartus aut a deo aliquo aut a vate deorum oracula renuntianti proferuntur. Ipsa igitur Palicorum fabula et *αἴτιον* cultus eorum in Aetnis tractata sunt et, id quod ex vitae illo loco coniciendum est, Aetnae oppidi gloria est praenuntiata. Si hoc modo explicamus fabulam, rationem apud tragicos satis usitatam etiam in Aetnis invenimus, quam Aeschylus ipse in Eumenidibus, Euripides in Archelao et in Supplicibus adhibuit, ut ea, quae ipsis poetarum temporibus omnium animos commovebant, cum fabulosis heroum temporibus coniungerentur[2]. Falsa igitur est Welckeri sententia, qui Aetnis mythicum argumentum non fuisse *Tril.* p. 566 censuit, immo de praesentibus tantum rebus agi et futura praenuntiari.

Aliud quoque *αἴτιον* in Aetnis inerat, quod quo loco aut a quo commemoratum sit, nescimus. Iohannes enim Lydus de mensibus p. 170, 7 sqq. (Wuensch), fr. 11 N praebet Saturnum in Libya et Sicilia regnasse oppidumque condidisse *ὡς ὁ Χάραξ φησί, τ⟨ὴ⟩ν τότε μὲν λεγ⟩ομένην Κρονίαν, νῦν δὲ Ἱερὰν*

[1] Falso hoc loco *ἵξουσ'* Burges coniecit, Nauck assumpsit, cum Aeschylus clare vocem *Παλικοί* derivet ex *Παλιν-ικοι* i. e. qui *πάλιν ἵκουσι*. Hoc igitur legendum est, quod cum sensu futuram formam hoc in versu postulanti non pugnat, cum saepius praesentia verborum eundi et veniendi tempora pro futuris adhibeantur; Krueger *Griechische Sprachlehre* § 53, 1, 1 adn. 8.

[2] Cf. etiam A. Dieterich l. p. 2 l. p. 189.

πόλιν, ὡς Ἰσίγονος ⟨περὶ Παλ⟩ικῶν θεῶν καὶ Πολέμων καὶ Αἰσχύλος ἐν τῇ Αἴτνῃ[1] *π⟨αραδιδόασιν⟩*. Hoc loco, cum nullo alio antiquitatis testimonio tradatur, in Sicilia Hierapolin oppidum fuisse[2], pro *Ἱερὰν* levissima commutatione adhibita *Ἱμέραν* legendum videtur esse[3], ita ut Himerae oppidi originem cum ab aliis tum ab Aeschylo in Aetnis in Saturni aetatem translatam esse intellegatur. Num etiam victoria illa celeberrima, qua Hiero apud Himeram anno 480 a. Chr. n. Carthaginienses devicit[4], commemorata sit, nescimus. Sed facillime hoc dramati, quod Hieronis gratia Aeschylus conscripsit, inseri potuit, sicut etiam Pindarus Pyth. I 79 sq., cum Hieronis victoriam Pythicam cantaret, illius quoque proelii mentionem iniecit. Quodsi idem in Aetnis exstabat, pari modo erat praenuntiandum atque futura Aetnae oppidi gloria.

Ipse autem deus aliquis et Palicorum cultum instituere et, quae de posteris temporibus erant renuntiata, vaticinari potuit.

Tum nonnulla monenda sunt de fr. 160 N, ex quo fortasse aliquis coniciat in Nioba deum apparuisse. Pithetaerus enim in Aristophanis Avibus v. 1246 sqq., ut Iridem perterreat, haec profert:

> *Ἆρ' οἶσθ' ὅτι, Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα,*
> *μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος*
> *καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς.*

Ibi adnotant scholia: *Καὶ δόμους Ἀμφίονος ἐκ Νιόβης Αἰσχύλου· ἐξέρριπται δέ τ' Ἀμφίονος ἐκ μονῳδίας*. Ultima scholii verba corrupta sensuque cassa probabiliter Hermann opusc. III 53 correxit, cum scriberet: *ἐνέρραπται δὲ τὸ Ἀμφίονος ἐκ παρῳδίας*. Verba autem *δόμους .... αἰετοῖς* ex Aeschylo desumpta esse recte omnes fere editores censuerunt, cum, si aliam explicationem temptaveris, verba *δόμους Ἀμφίονος*[5] omnino sensum

---

[1] *Aetna* titulus huic fabulae etiam a Macrobio l. supra p. 41 l. falso pro *Aetnis* titulo inditur.

[2] Cf. Max. Mayer in Roscheri lex. s. v. *Kronos* II 1486.

[3] Ita Bloch apud Roscherum III 1282.

[4] Busolt *Griechische Geschichte* II 263 sqq.

[5] Plane refutandum est, quod van Leeuwen in Avium editione Lugduni-Batavorum 1902 ex mero arbitrio scripsit *ἀμφικίονας δόμους*.

non praebeant. Nam cum Pithetaerus dicere velit se Iovis domum esse incensurum, Amphionis domus omnino addi non potuit, nisi consilium subest in risum vertendi versum tragici cuiusdam, quem tragicum Aeschylum fuisse scholiis docemur [1]. Dubium autem est, num etiam forma *καταιθαλώσω* ex Aeschylo sit assumpta, quod si quis existimet, is Iovem in Nioba introductum esse censebit. Sed, cum loquentis persona in parodia commutari potuerit, dummodo propria verborum coniunctio servaretur, etiam *καταιθαλώσει* apud Aeschylum exstare potuit. Hac scriptura, in quam Hermann inclinat, adhibita aut a deo aliquo aut oraculi instar verba, de quibus agitur, proferri potuerunt. Ex Aristophanis igitur loco non cognoscere nedum demonstrare licet verba illa a deo apud Aeschylum esse facta.

Interdum etiam in satyricis Aeschyli fabulis dei apparebant velut in Prometheo *Πυρκαεῖ* (cf. supra p. 9), Proteo satyrico, Phorcidibus, ut ipsi fabularum tituli docent. In Sisypho *Δραπέτῃ* (cf. supra p. 24) fortasse Mercurius introductus est, a quo illum, cum ex Orco redisset, denuo ad inferos abreptum esse scholio Pind. Olymp. I 97 (Boekh) traditur. Neque a satyricis fabulis dei abhorrent, cum inde ab initio ipse Liber satyrorum choro esset circumdatus; postea autem, cum argumenta satyricarum fabularum similiter ac tragoediarum magis magisque diversissimas fabulas comprehendere coepissent, etiam alios praeter Liberum deos apparere ipsa res ferebat.

Satyricam fabulam *Γλαῦκον* quoque *Πόντιον* fuisse Hermann demonstravit opusc. II 59 [2]. Welckeri autem sententia, qui hoc drama tertiam Persarum trilogiae tragoediam fuisse censuit, in qua Glaucus victoriam apud Himeram partam renuntiasset, non modo certo argumento confirmari non potest sed etiam contra Persarum hypothesin pugnat, qua non *Γλαῦκος Πόντιος* sed *Γλαῦκος Ποτνιεύς* ut tertia fabula laudatur. Suspicati igitur sunt viri docti Aeschylum in Glauco Pontio

[1] De interpretando Aristophanis loco cf., quae Theodorus Kock in editione Avium (*Berlin* 1894) adnotavit ad versum 1247.

[2] Cf. imprimis fr. 26 N, quod fabulae satyricae sermonem luculenter praebet. Neque habemus, cur cum Dindorfio et Nauckio haec verba ab Aeschylo abiudicemus.

Glauci piscatoris Anthedonii sortem tractasse, quem, cum gramina quaedam comedisset, in deum marinum commutatum esse Pausanias IX 22, 7, TGF p. 11 tradit. Hic fabula enarrata addit: *Πινδάρῳ δὲ καὶ Αἰσχύλῳ πυνθανομένοις παρὰ Ἀνθηδονίων τῷ μὲν οὐκ ἐπὶ πολὺ ἐπῆλθέν ἅσαι τὰ ἐς Γλαῦκον, Αἰσχύλῳ δὲ καὶ εἰς ποίησιν δράματος ἐξήρκεσεν.* Haec verba, cum e genuino sensu explicentur, significant sortem Glauci modo narratam Aeschylo ad drama conscribendum suffecisse. Ne cum hoc quidem Pausaniae loco, si modo recte explicatur, Welckeri sententia convenit, qui praecipue de Himeraea pugna a Glauco enarrata non de ipsa Glauci sorte in fabula actum esse censuerit.

Tota igitur fabula *αἴτιον* aliquod spectat, cum, quomodo Glaucus deus factus sit, demonstretur. Hermann autem magna cum specie veri huic fabulae attribuit fr. 402 (l. l. p. 69), e quo Aeschylum Rhegii nominis *αἴτιον* commemorasse comperimus. Haec explicatio Glauco ipsi est tribuenda, qui iter per freta Boeotica et Sicula factum descripsit (cf. fr. 30. 31. 32. 33)[1]. *Αἴτια* igitur a dis explicata etiam in satyrica fabula invenimus. Neque tamen iure aliquis hac de re miretur, cum fabula satyrica eiusdem originis sit quam ipsa tragoedia atque arte cum hac coniuncta fuerit. Facile igitur tragicae quoque rationis aliquid in satyricas fabulas potuit transire.

Duo alia *αἴτια* praeter ea, quae iam commemoravi, in Aeschyli reliquiis exstant sed certae cuidam fabulae tribui non possunt: fragmento 312 N apud Aeschylum filias Atlantis in columbas (*πελειάδες*) commutatas esse legimus, fr. 313 N Curetum nomen explicatur.

Sed iam breviter comprehendamus, quae ex Aeschyli fabulis de tragicorum deorum indole et partibus comperimus. Exortus est deorum in tragoediis usus ex ludi sacri natura, cum in ludo ad deorum honorem acto ipsi quoque di in conspectum darentur. Huius modi autem dei ut totus ludus religioni atque pietati erga deos excitandae inserviunt.

[1] Fortasse hoc loco *ἐν παρέργῳ* Glaucus etiam illam pugnam in Sicilia commissam, de qua modo diximus, commemoravit. Hoc ad Glauci iter de Wilamowitz *Isyllos v. Epidauros*, *Philol. Unters.* IX *Berlin* 1886 p. 113 sq. incertum Aeschyli fr. 284 rettulit.

Qua de causa potentiam et sanctitatem deorum demonstrant, sacra ritus mores, quae a dis instituta esse credebantur, aut condendo aut vaticinando instituunt, gentes deorum voluntate procreatum iri praenuntiant, nomina quaedam hominibus rebusque indi iubent. Quibus explicatis *αἴτια*, quae dicuntur, per deos tragoediis inseruntur. Huiusmodi dei apparuerunt apud Aeschylum in Prometheis, quae fabula per solos deos agebatur, Eumenidibus, Danaidibus, fabulis ad Pentheum, Lycurgum, Actaeonem pertinentibus et fortasse etiam in iis, quibus de Ixione et Sisypho agebatur.

Vetustioribus tragoediis, quibus praecipue ad deos celebrandos spectabatur, haec sola deos adhibendi ratio propria erat, quae, cum etiam heroum facta tragoediis agebantur, in has quoque fabulas translata est velut in Danaides, quam modo commemoravi. Sed etiam mos deos introducendi, quem in heroicis carminibus invenimus quique a ludi sacri ratione eo differt, quod in carminibus illis dei non religioni inserviunt sed ut ipsi homines suis quisque rebus prospiciunt, in tragoediis, quarum argumenta ab heroicis poetis assumpta sunt, adhibebatur.

In satyricis quoque fabulis apparent dei, atque etiam hac in poesi ludibunda interdum *αἴτια* cum iis coniuncta sunt.

Non in ipso deorum numero sed deis similes sunt umbrae mortuorum, nam eas quoque homines sacris divinisque honoribus colebant et interdum ex Orco provocari posse censebant, ut, quae facienda essent, edicerent. Huiusmodi umbrarum exemplum in Persis Aeschyli exstat, cum Darei *εἴδωλον* a choro et Atossa ex inferis excitetur (619 sqq.), ut, quae in tanta calamitate sint agenda, suadeat. Graviter vituperat umbra Xerxis Persarumque superbiam et erga deos scelera atque ex oraculis deorum renuntiat etiam Persarum copias in Graecia relictas deletum iri. Profert autem haec ut homo aliquis sapiens et oraculorum peritus, neque quicquam propriae deorum tragicorum naturae in hac umbra inest.

CAPVT II

De Graecorum deorum partibus Sophocleis

Sophocles in duabus tragoediis adhuc exstantibus deos in scenam vocavit, Minervam in Aiace, Herculem in Philocteta.

Aiacis argumentum Sophocles desumpsit ex parva Iliade, de qua Proclus haec praebet (Kinkel l. p. 24 l. p. 36): *Ἡ τῶν ὅπλων κρίσις γίνεται καὶ Ὀδυσσεὺς κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς λαμβάνει, Αἴας δ' ἐμμανὴς γενόμενος τήν τε λείαν τῶν Ἀχαιῶν λυμαίνεται καὶ ἑαυτὸν ἀναιρεῖ.* Minervam in Iliade parva, cum de Achillis armis certaretur, Ulixi favisse etiam scholio Aristoph. Equit. 1056 demonstratur (Kinkel p. 39 sq.). Ab eadem autem dea Aiacis furorem esse excitatum in epitoma Apollodori legimus, quem auctorem in Aiacis sortibus enarrandis V 6 sq. Sophoclis exemplo usum non esse vel inde elucet, quod Agamemnonem, ne corpus Aiacis combureretur, impedivisse refert. Easdem partes atque Apollodorus Minervae etiam Quintus Smyrnaeus V 359 sqq. tribuit, qui et ipse Sophoclis Aiacem plane neglexit [1]. Quintus igitur res ad Aiacis exitum pertinentes ex fonte suo mythographico (cf. supra p. 31) videtur

[1] Hoc dramate Quintum usum esse Noack l. supra p. 31 l. p. 781 contendit, sed ita fundamento caret haec sententia, ut, quae Quintus de Aiacis insania morte funere praebet, in plurimis rebus a Sophocle dissentiant et ea praecipue, quae Sophocli propria sunt, velut Aiacis apud Tecmessam et commilitones luctus, Aiacis dolus, quo tranquillam mortem sibi parat, Agamemnonis et Menelai cum Teucro altercationes plane desint apud Quintum.

desumpsisse, quas tum Homerica describendi ratione usus exornavit. Quodsi tres fontes, Sophocles Apollodorus Quintus, quamvis in aliis rebus inter se dissentiant, tamen in hoc uno sibi constant, quod Aiacem ab ipsa Minerva in furorem esse coniectum enarrant, hoc ipsum iam in primo harum rerum fonte i. e. in parva Iliade infuisse quadam cum veri specie sumere licet. In eandem sententiam iit Carolus Robert[1] scyphi cuiusdam imagine adductus, qui in illo carmine cyclico una cum Ulixe Minervam etiam ad tentorium Aiacis venisse iudicavit. In Minerva igitur introducenda epicum exemplum Sophocles secutus esse videtur. Neque tamen credi potest iam in epico carmine illam deam tam gravibus verbis hominibus mandasse, ut pietatem erga deos servarent, ne ob corporis aut ingenii vires aut divitias superbirent, cum res humanae uno die possent penitus commutari, quibus edictis apud Sophoclem scena, in qua apparet Minerva, gravissime finitur (127—133). Huiusmodi enim res proferre ab heroici carminis dis abhorrere iam supra p. 36 sqq. vidimus, atque Quintus Smyrnaeus quem, ne ab epica ratione desisteret, enixe operam dedisse ibidem commemoravimus, V 359 sqq. haec sola praebet:

Καὶ τὰ μὲν ὣς ὥρμαινε, τὰ δὴ τάχα πάντα τέλεσσεν,
εἰ μή οἱ Τριτωνὶς ἀάσχετον ἔμβαλε λύσσαν·
κήδετο γὰρ φρεσὶν ἧσι πολυτλήτου Ὀδυσῆος
ἱρῶν μνωομένη, τά οἱ ἔμπεδα κεῖνος ἔρεξε.

Similibus cogitationibus commota certe etiam in parva Iliade Minerva Ulixi auxiliata est, sicut in Odyssea α 61 illius reditum a Iove diisque petit, quod *Ἀργείων παρὰ νηυσὶ χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων.*

Atque si recte iudicavit Robert iam in parva Iliade deam Ulixem ad Aiacis tentorium esse prosecutam, haud erraturos nos esse censeo, si eo modo deae introducendae illius carminis auctorem usum esse existimabimus, quem in Homeri Dolonia Il. X 274 sqq. 507 sqq. invenimus adhibitum: dea sicut amica maximis viribus praedita heroibus, quibus favet, venit auxilio. Nihil de religione ac pietate deis debita apud Homerum au-

[1] *Homerische Becher*, 50. *Winckelmanns Programm* 1890 p. 34 sq.

dimus, nisi quod Diomedes Minervae splendidam hostiam pollicetur (292 sqq.). Apud Sophoclem autem dea introducta artissime cum religione cohaeret, verbis eius pietas erga deos praedicatur vel, ut breviter dicam, ex dea carminis heroici ludi sacri dea est facta, quae adhibetur, ut deorum potentia et iustitia celebretur. Ideo etiam graviter Aiacis culpa scelestaque superbia notantur (v. 91—111), qui ne ipsius quidem deae iussu ultione vult desistere (111 sqq.), atque expressis verbis Minerva Achaeorum exercitum servari potuisse negat (45. 50 sq.), nisi ille insania esset perturbatus. Quibus propositis impedivit Sophocles, ne quis vana crudelitate homines a dis cruciari crederet, si postea ingentes Aiacis dolores vidisset. Ulixes autem commotus ea verecundia, qua spectatores impleri voluit Sophocles, deorum potentiam agnoscit (86. 121 sqq.). Existimo igitur ea potissimum de causa Minervam esse adhibitam, ne quis huius fabulae argumento exulceratus crudelitatis deos argueret. Religioni ergo dea inservit, neque ea sola de causa apparet, quod iam in heroico carmine cum argumento erat coniuncta. Deae autem persona opus fuisse Sophocli, cum aliter, quae ante fabulam facta essent, explicari non possent, hypothesis auctor contendit, cum haec praebeat *Δαιμονίως δὲ εἰσφέρει προλογίζουσαν τὴν Ἀθηνᾶν· ἀπίθανον γὰρ τὸν Αἴαντα προϊόντα εἰπεῖν περὶ τῶν αὐτῷ πεπραγμένων ὥσπερ ἐξελέγχοντα ἑαυτόν· οὐδὲ μὴν ἕτερός τις ἠπίστατο τὰ τοιαῦτα, ἐν ἀπορρήτῳ καὶ νυκτὸς τοῦ Αἴαντος δράσαντος. Θεοῦ οὖν ἦν τὸ τοιοῦτον διασαφῆσαι καὶ Ἀθηνᾶς προκηδομένης τοῦ Ὀδυσσέως.* Haec vera non esse nemo non videt, nam Sophocles Ulixem, cum ab aliquo speculatore Aiax cum gladio stricto oberrans visus esset omnesque eum gregum caedis arguerent (v. 28 sqq.), apud tentorium eius speculantem et a servo Aiacis vel a Tecmessa, quae facta erant, cognoscentem facere potuit. Sed de hac re omnino non cogitasse Sophocles mihi videtur, cum iam in parva Iliade Minervam inveniret, quae ad ea, quae voluit efficere, aptissima erat. *Αἴτιον* autem in Aiace omnino non exstat.

In Philoctetae exitu Hercules divino habitu indutus apparet, a quo, dum Philoctetam pertinacia sua desistere unaque cum Neoptolemo et Ulixe Troiam redire iubet, tota tra-

goedia finitur. Videmus igitur hac in fabula novam deorum scenicorum speciem, quam apud Aeschylum nondum certe deprehendimus, qualesque dei in fine fabularum introducti iussu suo omnia componunt.

Etiam Philoctetae argumentum ex parva Iliade desumptum est [1], qua in fabula quae innovaverit Sophocles, demonstravit Ludovicus Radermacher in praefatione editionis Philoctetae commentario instructae (*Berlin* 1907). Nobis autem quaerendum est, num iam in epico carmine Hercules tamquam deus apparuerit. In Procli argumento ne vestigium quidem exstat, unde sumere liceat iam in parva Iliade Philoctetam Graecorum precibus tam vehementer restitisse, ut per deum placari deberet. Immo hoc solum legimus (Kinkel l. l. p. 36): *Διομήδης ἐκ Λήμνου Φιλοκτήτην ἀνάγει*, quasi nullae difficultates in Philocteta reducendo obstitissent. Neque apud Quintum Smyrnaeum, qui in ipsis rebus componendis fontem suum mythographicum, ut videtur, secutus tragoedias de Philocteta conscriptas prorsus neglexit [2], aut Hercules aut alius quisquam deorum apparet, sed Philoctetae Minerva — neque tamen in medium progressa — delenitam mentem indit, ut precibus Ulixis et Diomedis obsecutus Troiam redeat (IX 398 sqq.). Simili ratione etiam Leschen, qui Iliadis parvae auctor habetur, usum esse magna cum probabilitate conici potest. praesertim cum non Ulixem, Philoctetae inimicissimum, sed Diomedem Lesbum fecerit proficiscentem, quem promptiore animo Philoctetes sequi potuit quam illum. Sophocles igitur, quantum videmus, de suo addidit Herculem. Quod qua de causa fecerit, varie explicaverunt viri docti. Sic Herrmannus Schrader, qui in Mus. Rhen. XXII (1867) 544 sqq. et XXIII (1868) 103 sqq. de partibus deorum in tragoediarum finibus apparentium disseruit, contendit, si sua sponte Philoctetes

[1] Cf. Procli argumentum, Kinkel l. l., et Aristotelem poet. 23 p. 1459 b.

[2] Haec res clare apparet ex Sophoclis Philocteta iisque, quae de Aeschyli et Euripidis Philoctetis Dio Chrysostomus in oratione LII (J. de Arnim) tradit, cum Quinto Smyrnaeo comparatis. Ipsas autem tragoedias Quintus fortasse novit et in doloribus Philoctetae describendis (IX 355—391) tragicum exemplum adhibuit (cf. Kehmptzowium l. supra p. 31 l. p. 28) sed in rebus disponendis summa simplicitate usus artificiosa tragicorum inventa tamquam dedita opera vitavit.

petentibus cederet, omnino futurum non esse, ut legibus artis tragicae satisfieret. Sed illum Troiam se contulisse fabulis, quae vulgo traderentur, esse enarratum, itaque, ut et tragoedia efficeretur et fabulae vulgo traditae servarentur, deum Sophocli fuisse adhibendum. Hanc autem sententiam tam bene Claes Lindskog[1] refutavit, ut de ea disputare non oporteat. Idem Lindskog ostendit sine deo optime tragoediam absolvi potuisse, cum Philoctetam precibus et ingenio Neoptolemi, qui arcum ei fraude detecta reddidit, commotum et Troiam sua sponte redeuntem Sophocles posset facere.

Sed spectemus, quae ipse Hercules profert, ut inde coniciamus, quae Sophocles, cum illum introduceret, efficere voluerit! Postquam summa cum gravitate Iovis consilia se referre affirmavit (1415), renuntiat Hercules a deis Philoctetae, etsi summis doloribus malisque sit vexatus, tamen magnam gloriam esse destinatam, sicut ipse post multos labores in deorum numerum sit receptus (1418 sqq.). Quibuscum per se cohaeret, quod futura Philoctetae gloria ostenditur (1423 sqq.). Huic loco reperimus tale *αἴτιον* interpositum, qualia iam apud Aeschylum deorum orationibus inserta invenimus, cum Hercules sibi ipsi partem praedae in rogo suo devoveri iubeat (1431 sq.). Hac in re non sine probabilitate Radermacher ad v. 1431 adnotavit fortasse postea apud aram Herculis in Oeta monte exstructam (Herod. VII 176) arma esse monstrata, quae a Philocteta Herculi sacrata esse dicebantur. Denique Hercules victores, ne reverentiam deis debitam neglegant, admonet (1446 sqq.). Certo autem consilio graviter affirmari per deorum voluntatem factum iri, ut Philoctetae gloria contingat, nemo non videbit, qui legerit, quam acriter deos Philoctetes accuset (446—452). Respondent quodam modo Herculis verba Philoctetae quaestionibus:

Ποῦ δ' αἰνεῖν, ὅταν
τὰ θεῖ' ἐρευνῶν τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς.

Praecipue igitur religioni operam dat Hercules, cum, ne quis deorum regnum vituperet, omnia ad bonum exitum ab iis directa esse contendat et homines ad pietatem erga deos co-

[1] *Studien zum antiken Drama*, *Lund* 1897 p. 73 sqq.

lendam excitet[1]. Et quia consilia deorum futura quoque tempora respiciunt, cum his ex ipsius rei natura futurorum renuntiatio cohaeret.

Transeamus nunc ad fabulas Sophoclis deperditas, quarum ex fragmentis apparet etiam in Andromedae et Syndipnorum et fortasse in Meleagri finibus deos intervenisse.

Legimus enim in Eratosthenis epitoma[2] s. v. *Κῆτος*: *Τοῦτό ἐστιν ὃ Ποσειδῶν ἔπεμψε Κηφεῖ διὰ τὸ Κασσιέπειαν ἐρίσαι περὶ κάλλους ταῖς Νηρηίσιν· Περσεὺς δ' αὐτὸ ἀνεῖλεν καὶ διὰ τοῦτο εἰς τὰ ἄστρα ἐτέθη ὑπόμνημα τῆς πράξεως αὐτοῦ. ἱστορεῖ δὲ ταῦτα Σοφοκλῆς, ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητής, ἐν τῇ Ἀνδρομέδᾳ.* Primus C. O. Mueller contendit[3] non ad ipsos catasterimos sed ad ea tantum, quae de hominum vel bestiarum ad astra elatorum vita ac sortibus referuntur, pertinere, quod Euripidem, Sophoclem, alios poetas laudent astronomici. Hac nisus sententia Welcker *Griech. Trag.* I 350 ceti catasterismum apud Sophoclem esse commemoratum eo, quem modo attuli, loco demonstrari negavit. Sed ex ipsa ratione, qua in auctoribus afferendis astronomici utuntur, apparet errasse Muellerum, cum illi poetae, si solius fabulae auctores adhibentur, aliter collaudentur atque si etiam catasterismi ex iis desumuntur. Quam rem ut demonstrem, complures loci epitomae Eratosthenis cum eo, quem attuli, sunt comparandi. Legimus enim s. v. *Ταῦρος* (Robert l. l. p. 106):

Οὗτος λέγεται ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι διὰ τὸ Εὐρώπην ἀγαγεῖν ἐκ Φοινίκης εἰς Κρήτην διὰ τοῦ πελάγους, ὡς Εὐριπίδης φησὶν ἐν τῷ Φρίξῳ.

S. v. *Περσεύς* (l. l. p. 130):

Περὶ τούτου ἱστορεῖται, ὅτι ἐν τοῖς ἄστροις ἐτέθη διὰ τὴν δόξαν. Sequuntur nonnulla de fatis Persei usque ad expeditionem contra Gorgones factam. Deinde: *Δοκεῖ δὲ καὶ ἅρπην παρ' Ἡφαίστου λαβεῖν ἐξ ἀδάμαντος, ὡς Αἰσχύλος φησίν, ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητής, ἐν Φορκίσιν.* Tum res a Perseo apud Phorcides et Gorgones factae commemorantur; sequitur: *Τῷ δὲ*

[1] Cf. etiam, quae Radermacher l. p. 50 l. p. 12 sq. praebet.

[2] Robert Eratosthen. p. 176, TGF p. 157.

[3] *Prolegomena zu einer wissenschaftlichen Mythologie*, Göttingen 1825 p. 196 sqq.

Περσεῖ τὴν περὶ τὰ ἄστρα θέσιν ἐποίησεν (sc. Ἀθηνᾶ). Auctor igitur catasterismi non laudatur.

S. v. *Κηφεύς* (l. l. p. 114):

Ἦν δέ, ὡς Εὐριπίδης φησίν, Αἰθιόπων βασιλεύς, Ἀνδρομέδας δὲ πατήρ. τὴν δ' αὐτοῦ θυγατέρα δοκεῖ παραθεῖναι τῷ κήτει βοράν, ἣν Περσεὺς ὁ Διὸς διέσωσε· δι' ἣν καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς ἄστροις ἐτέθη Ἀθηνᾶς γνώμῃ.

S. v. *Κασσιέπεια* (l. l. p. 116):

Ταύτην ἱστορεῖ Σοφοκλῆς, ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής, ἐν Ἀνδρομέδᾳ ἐρίσασαν περὶ κάλλους ταῖς Νηρηίσιν εἰσελθεῖν εἰς τὸ σύμπτωμα, καὶ Ποσειδῶνα διαφθεῖραι τὴν χώραν κῆτος ἐπιπέμψαντα. δι' ἣν πρόκειται τῷ κήτει ἡ θυγάτηρ.

Quod ad tauri locum attinet, ipsa verborum coniunctione demonstratur Euripidem catasterismi auctorem afferri. Loci s. v. Persei allati initio auctor non affertur, sed commune illud *ἱστορεῖται* adhibetur, deinde vero Aeschylus tamquam auctor mediae partis *δοκεῖ . . . . . ἀδάμαντος* laudatur, sequentia et catasterismus adduntur nullo auctore commemorato. Cephei loco Euripides auctor significatur eorum, quae verbis *ἦν δὲ . . . . πατήρ* continentur. Tum voce *δοκεῖ* inserta alium fontem se adhibuisse contendit epitomae auctor. Eadem ratione loco Cassiopeiae verbis *ταύτην . . . πέμψαντα* Sophocles auctor additur. Tum enuntiati structura mutata ipse loquitur mythographus. Videmus igitur unoquoque loco summa cum diligentia additum esse, cuius rei quisnam auctor adhibeatur. Qua de causa si loco, a quo progressi sumus, tota fabula et catasterismo narratis additur *ἱστορεῖ δὲ ταῦτα Σοφοκλῆς*, dubitari non potest, quin etiam ut catasterismi auctor poeta ille afferatur. Tum autem deus aliquis erat introducendus, cum vix hoc in oraculo exstaret neque quisquam mortalium de suo referre posset beluam in sideribus positum iri. *Αἴτιον* igitur a deo explicatum etiam hoc loco agnoscimus. Sed hoc quoque conicere licet de futuris Persei fatis verba esse facta, cum vix credi possit deum non, quae in posterum essent facienda, proposuisse, sicut etiam in Philocteta Hercules, quae sunt futura, renuntiat. Quodsi quis quaerit, quisnam deus apparuerit, aut de Mercurio, Persei fautore et adiutore[1], aut de

[1] Apollod. II 37. 39.

Minerva cogitandum est, quae non infirmius Mercurio Perseum adiuvit ipsumque et Cepheum ad astra extulisse credebatur, Bestia autem necata et Andromeda liberata finitur fabula argumentum, qua de causa deum, qui tum demum apparuit, ab ipso tragoediae fine introductum fuisse oportet. Intervenit hic deus tragoedia iam peracta, ita ut ad absolvendam fabulam eo opus non sit.

Fabulam, quae inscribitur *Σύνδειπνοι* vel *Ἀχαιῶν Σύνδειπνον*[1], eandem esse quam quae inscribitur *Ἀχαιῶν Σύλλογος* plerique viri docti coniecerunt, quam coniecturam certo fundamento plane carere recte contendit de Wilamowitz[2]. Apparet autem ex Syndipnorum fragmentis luxuriosam cenam in fabula actam (fr. 138. 140) et inter Achillem et Ulixem discordias ortas esse (fr. 141. 142). Cena Achaeorum, in qua Achilles ira inflammatus est, iam in Cypriis exstabat, quorum in argumento Proclus praebet[3]: *Ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον . . . . . καὶ Ἀχιλλεὺς ὕστερος κληθεὶς διαφέρεται πρὸς Ἀγαμέμνονα.* Has epulas in Syndipnis actas esse summa cum probabilitate coniecerunt viri docti, in quibus apud Sophoclem Achillem cum Agamemnone litigasse, ab Ulixe Agamemnonem adiutum esse censendum est. Cena cum lascivior depingatur (cf. praecipue fr. 140 N), satis certum est aut satyricam fabulam fuisse Syndipnos, id quod praeter alios Nauck TGF p. 161 existimat, aut hilarem fabulam satyrici dramatis loco actam, id quod de Wilamowitz l. l. proposuit[4]. Apparuit autem in Syndipnis Thetis, ut ex loco in codice quodam Athenis reperto cognoscimus[5], quo legimus: *Παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Συνδείπνοις ἡ Θέτις πρὸς τὸν Ἀχιλλέα φησί·*

λιποῦσα μὲν Νηρηίδων
ὥρουσα πόντιον χορόν.

Thetidem esse introductam in fabulae fine, ut filium, cuius iram delenire frustra conatus esset Ulixes, ad officium re-

[1] *Σύνδειπνοι* fr. 138. 139. locus in hac ima pagina allatus; *Ἀχαιῶν Σύνδειπνον* fr. 140; breviter *Σύνδειπνον* fr. 142. 145. 146. 147.

[2] *Griechische Dichterfragmente*, *Berliner Klassikertexte* V, *Berlin* 1907 p. 71 sq.

[3] Kinkel p. 19, TGF p. 161.

[4] Wecklein l. supra p. 39 l. p. 7 sqq. eidem sententiae se addixit.

[5] Friedrich Wentzel *Inedita aus einer athenischen Handschrift*, *Nachrichten der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften* 1896 p. 340.

vocaret, probabiliter l. l. de Wilamowitz coniectavit. Suspicandum hoc quoque est Thetidem de futura Achillis gloria verba fecisse. Neque tamen ea de causa introducenda erat, quod sine divina opera fabula ad exitum adduci non potuit, cum etiam ab Ulixe Achilles commoveri posset. Sed fortasse iam in epico carmine Thetis apparuit atque inde a Sophocle assumpta est, sicut apud Homerum *A* 193 sqq. Minerva Achillem, ne Agamemnoni vim afferat, prohibet.

In Meleagro Sophocles ea, quae de huius herois exitu in Iliadis libro IX 529—595 referuntur et ab Apollodoro in altera fabulae parte I 72 sq. praebentur, tractavit [1]. Legimus autem apud Plinium hist. nat. 37 § 40, TGF p. 219 de electro: *Sophocles ultra Indiam fieri dixit e lacrimis Meleagridum avium Meleagrum deflentium.* Idem spectat Apollodorus, cum I 73 praebeat: *Μετὰ δὲ τὸν Μελεάγρου θάνατον . . . . αἱ θρηνοῦσαι τὸν νεκρὸν γυναῖκες ἀπωρνεώθησαν.* Accuratius autem Hyginus refert fab. 174: *At sorores eius praeter Gorgen et Deianiram flendo deorum voluntate in aves sunt transfiguratae, quae meleagrides vocantur.* Haec, quae de meleagridibus et electro Sophoclem praebuisse testatur Plinius, aut in Meleagri fine exstabant atque post ipsum fabulae argumentum Meleagri morte peractum addebantur — tum a deo erant renuntianda et *αἴτιον* a deo explicatum involvebant — aut in alia fabula tamquam carminis ornamentum inerant [2]. Certe igitur statuere non licet in Meleagri fine deum esse introductum.

In Iphigeniae fine (TGF p. 197 sq.) Dianam apparuisse Welcker *Griech. Trag.* I 109 coniecit, sed hoc nullo veterum testimonio potest demonstrari.

In Triptolemo autem Cererem prodiisse constat, qua tamen ratione, dubitatur. Nauck enim TGF p. 261 Iulium Schoenemann de lexicographis antiquis p. 118 secutus verisimile esse existimat apud Sophoclem insidias, quas Charnabon rex [3] Triptolemo paravit, tractatas esse. Is enim Triptolemum

[1] Bacchylides V 94 sqq. (Blass) eandem fabulam canit, sed in nonnullis rebus differt ab Homero, quocum Sophoclem in rebus disponendis consensisse vidit Preller *Griech. Myth.* II [3] p. 305 sq. Cf. etiam Henricum Preuss, de fabulis apud Bacchylidem, diss. Regimonti 1902 p. 23 sqq.

[2] Cf., quae de Aeschyli Heliadibus supra p. 41 proposui.

[3] Cf. in Roscheri lex. Hoeferum s. v. *Karnabon*; Hyg. astron. II 14.

primo familiariter recepit, deinde per insidias alterum draconem eius interfecit. Tum Ceres Triptolemum servavit, Charnabontem cum dracone necato in caelum transtulit. Hic ipse Charnabon Sophoclis fr. 547N commemoratur. Quae si re vera tractavit Sophocles in Triptolemo, in huius fabulae exitu apparuit Ceres, nam servato Triptolemo multato rege fabula finitur. Quocum convenire videntur, quae apud Dionysium Halicarnassensem Antiq. Rom. I 12, fr. 541N legimus: *Μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν Τριπτολέμῳ δράματι. πεποίηται γὰρ αὐτῷ Δημήτηρ διδάσκουσα Τριπτόλεμον, ὅσην χώραν ἀναγκασθήσεται σπείρων τοῖς δοθεῖσιν ὑπ' αὐτῆς καρποῖς διελθεῖν.* Tum a Dionysio afferuntur regiones Italiae et Siciliae, sed nullas praeter has apud Sophoclem in Triptolemo allatas fuisse falso aliquis existimet; nam Dionysius ea tantum affert, quae ipsi, qui veterrimae Italiae descriptionem exarare studet, usui sunt. Fortasse ex hac Cereris oratione desumptum est Sophoclis fr. 540 et quae commemoratae sunt Illyria fr. 544 et Libya fr. 545 sq.

Sed alia de Triptolemi Sophocleae argumento coniectura mihi ipsi occurrit. Dionysii enim locus etiam ad ea praecepta referri potest, quae Ceres Triptolemo Eleusine proficiscenti mandavit [1], quo assumpto censendum est res Eleusine apud Celeum vel Eleusinum regem a Cerere gestas in Triptolemo infuisse. Hoc autem argumentum cum non minore veri specie Sophocli attribui potest quam illud Schoenemanni. Traditur enim iam quinto hymno Homerico Ceres nutricis specie induta Celei filium aluisse eumque immortalem reddere voluisse sed a matre pueri noctu deprehensa abiisse, cum templum cultumque sibi institui iussisset. Hoc carmen Sophocles in conscribenda Triptolemo secutus esse non potest, cum in eo Triptolemus obiter tantum ut rex Eleusiniorum una cum Celeo commemoretur. Aliam autem fabulae formam Apollodorus et Hyginus l. in adn. l. praebent, qui, quamvis et in singulis rebus et in personarum nominibus inter se discrepent, tamen in eo consentiunt, quod Triptolemum filium illius regis Eleusinii fuisse volunt, cuius in domo Ceres nutricis officiis functa

[1] Apollod. I 31 sq., Hyg. fab. 147.

esse tradebatur. Ipsi regi Apollodorus cum hymno illo Homerico consentiens Celeum, Hyginus Eleusinum nomina indunt. Tum Apollodorus tradit Cererem deprehensam puerum, quem aluisset, necasse et Triptolemo, filio Celei natu maiori, mandasse, ut frumentum hominibus ferret. Sed apud Hyginum Ceres ipsum Triptolemum alit eundemque in terras mittit. Hac fabulae forma, cui Hyginus se addixit, Sophoclem usum esse nobis censendum est, si res Eleusinias in Triptolemo infuisse existimamus. Nam cum in argumento secundum Apollodorum composito in fine tantum Triptolemus esset introducendus, huic toti fabulae Triptolemi titulum esse inditum credi non potest. Quodsi re vera Ceres apud Sophoclem primo humana nutricis specie induta, in fine autem cum divino splendore apparuit, eadem ratio in Triptolemo esset adhibita, qua Euripides in Bacchis usus est, in quibus Liberum primo cum humana deinde cum divina specie introduxit. Tum in fine Ceres descripsit, qua via Triptolemus agriculturam docens hominum regiones permigraret, qua ex oratione desumpta esse possunt verba ad Charnabontem spectantia, quae supra commemoravi (fr. 547 N):

Καὶ Χαρναβῶντος, ὃς Γετῶν ἄρχει τὰ νῦν,
(ἐς γαῖαν ἥξεις vel tale quid).

Sed sive Schoenemanni sive hanc alteram rationem in argumento restituendo sequimur, deam in ludo sacro adhibitam videmus, cum constet Cererem in scenam prodiisse et de agricultura divina voluntate hominibus ferenda verba fecisse. Quin etiam, si alterum illud argumentum accipimus, nihil aliud in fabula esset tractatum atque agriculturae *αἴτιον*, nisi forte mysteriorum quoque Eleusiniorum, quibus idem *αἴτιον* celebrari solebat[1], mentio iniciebatur.

In Thamyra fabula Sophocles de Thamyrae, cantoris Thracii, sorte egit, quem Musae, cum certamine se illas victurum esse contendisset, oculorum lumine et cantu privaverunt (Il. B 594 sq.). Hoc argumentum quomodo a Sophocle dispositum sit, accuratius dici non potest, cum, quae servata sunt, fragmenta solam artem musicam spectent. Fortasse autem

[1] Preller-Robert *Griech. Mythol.* I 793.

ipsae Musae in scenam prodierunt, ut vatem ad certamen provocarent, quam in sententiam Welcker iit *Griech. Trag.* I 423. Is probabiliter hoc quoque explicavit ipsum certamen narratum, non actum esse. Apparent autem deae, si modo apparuerunt, ad superbiam hominum castigandam, ut etiam hac in fabula nemo sacri ludi vestigia non videat.

Num in Tantalo (TGF p. 255) et in Aethiopibus (l. l. p. 136 sq.) di apparuerint quove modo introducti sint, dici non potest. In Polyxena autem Achillis umbra Polyxenam immolari iubens intervenit (fr. 480 N). Darei umbram Persis, quae facerent, suadentem, plane tamen humano more prodeuntem iam apud Aeschylum invenimus (cf. supra p. 46), atque hoc quoque loco Achillis *εἴδωλον* ut vivus homo suis ipsius rebus providens introducitur.

Nunc ad Inachum fabulam transeamus, quam satyricam fuisse plurimi adhuc viri docti Tiberium Hemsterhuys secuti (ad Aristoph. Plut. p. 248) censuerunt. Recte autem de Wilamowitz[1] contendit fieri non posse, ut fabulam, quae tricies fere neque tamen ullo loco ut satyrica collaudetur, satyricam fuisse censeamus. Idem Inachi argumentum ex fragmentis ita restituit, ut Iuppiter Ionis amore delectatus omnem abundantiam Argivis comparet (fr. 251[2]. 253. 255), Iuno autem irata Ionem in vaccam (fr. 258) commutatam Argo tradat et inopia vexet homines (fr. 264), sed postremo, cum Argus a Mercurio necatus sit, cum Iove in gratiam redeat. Huc magna cum veri specie Hesychii locum II 158 (Schmidt) viri docti rettulerunt, quo legimus: *Ἐπίκρουμα· ἐπίπλημα ἢ ἐπιχάραγμα διὰ τὸ παρωνομάσθαι τῷ ἔργῳ· Ἐπίκρουμα χθονὸς Ἀργείας Σοφοκλῆς Ἰνάχῳ.* Probabiliter enim hoc loco Toup *τῷ Ἄργῳ* pro *τῷ ἔργῳ* scripsit, quod si sumitur, in Sophoclis Inacho eo, quod ex Argo tota Argivorum regio sit appellata, Argum notam Argivorum regionis dictum esse Hesychius testatur. Conici autem potest Iovem, ut Iunonis ob Argum necatum ira placaretur, Argos ab illo appellari iussisse. Tum *αἴτιον*

[1] *Einleitung in die attische Tragödie* p. 88 adn.

[2] *Πλούτωνος* (i. e. *Πλούτου*) *ἥδ' ἐπείσοδος* metaphorice dictum, aut, ut proprio verborum sensu usurpetur, ex nuntii alicuius verbis desumptum esse potest, ita ut hoc loco non demonstretur ipsum Plutonem in scenam prodiisse.

haberemus nominis deorum voluntate inditi. Hac in fabula num ipse Iuppiter et Iuno in scenam prodierint, nescimus[1], Mercurium autem et Iridem apparuisse scholio Aristophanis Av. 1203, fr. 250 N demonstratur. Ibi enim legimus Pithetaerum Iridem *κυνῆν* appellasse *ὅτι ἔχει περικεφαλαίαν τὸν πέτασον, ὡς ὁ Ἑρμῆς ἄγγελος ὢν παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ἰνάχῳ ἐπὶ*[2] *τῆς Ἶριδος· γυνὴ τίς ἥδε; κυκλὰς* (sic recte Toup, *συληνᾶς* R) *Ἀρκάδος κυνῆς.* Tum etiam Inachum deum esse introductum ipse titulus docet. Magnae autem huius fabulae parti et ipsi quoque exitui non severam sed hilaram indolem fuisse videmus Qua de causa facile Wilamowitzio assentiamur, qui eam, quamquam vere satyrica non fuisset, tamen satyricae fabulae loco actam esse proposuit. Atque etiam dei non ludi severi ratione sed iocantes apparuerunt, velut Mercurius Iridem appellavit mulierem et petaso Arcadico indutam eam esse contendit.

Sed non modo in hac fabula satyricae loco data verum etiam in ipsis fabulis satyricis Sophocles deos adhibuit et in his quidem, quantum videmus, saepius quoque quam ipse Aeschylus.

In *Κρίσει σατυρικῇ*, qua in fabula Paridis iudicium tractatum esse probabiliter Nauck TGF p. 209 coniecit, Iunonem, Minervam, Venerem, Mercurium apparuisse per se patet, quam ob rem Minervae Venerisque apud Sophoclem partes agentium memoria Athenaei loco servata a Nauckio aliisque recte ad *Κρίσιν* refertur (Athen. XV p. 687 C, TGF p. 209). Hoc autem ex loco idem cognoscimus, quod iam in Inachi Mercurio et Iride vidimus: in poesi ludibunda etiam deos interdum iocose esse introductos. Praebet enim Athenaeus: *Σοφοκλῆς δ' ὁ ποιητὴς ἐν Κρίσει* (sic recte Tyrwhitt pro *Κρησὶ*, quod tradunt libri) *τῷ δράματι τὴν μὲν Ἀφροδίτην ἡδονήν τινα οὖσαν δαίμονα μύρῳ τε ἀλειφομένην παράγει καὶ κατοπτριζομένην, τὴν δ' Ἀθηνᾶν φρόνησιν οὖσαν καὶ νοῦν, ἔτι δ' ἀρετὴν ἐλαίῳ χρωμένην* (supervacue coniecit Nauck *χριομένην*) *καὶ γυμναζομένην.*

[1] De Wilamowitz l. l. falso contendit hos deos nobiliores fuisse, quam ut in tali fabula iocosa apparerent. Nam statim, cum de *Κρίσει* Sophoclea agetur, videbimus etiam in fabulis satyricis nobilissimos deos a Sophocle hilari modo esse adhibitos. Atque satyricam quandam indolem illis quoque iocosis fabulis esse per se patet.

[2] Sic Ravennas teste Martino, quem affert de Wilamowitz l. l.

In *Μώμῳ σατυρικῷ* TGF p. 222 ipse Momus nimirum apparuit, in *Πανδώρᾳ ἢ Σφυροκόποις* TGF p. 237 Vulcanum facile quispiam introducat. Hermann enim opusc. VII 333 sq. sagacissime coniecit Pandoram fabulam fuisse satyricam, in qua Pandora luto efficta (cf. fr. 441. 719) ridicule a satyris tunderetur malleis (cf. Hyg. fab. 142), qua in fabula Vulcanus, qui effinxit Pandoram, vix potuit deesse. Idem deus fortasse etiam in *Κηδαλίωνι σατυρικῷ* erat introductus, si quidem Sophocles fabulam ab Eustathio in Iliadis commentario p. 987, 8, TGF p. 202 praebitam secutus est, qua Vulcanus Cedalioni Naxio traditus esse, ut artem ferrariam disceret, narrabatur. Lucianus autem de domo c. 28, TGF l. l. praebet: *Ὡρίων φέρει τὸν Κηδαλίωνα τυφλὸς ὤν, ὁ δ' αὐτῷ σημαίνει τὴν πρὸς τὸ φῶς ὁδὸν ἐποχούμενος καὶ ὁ Ἥλιος φανεὶς ἰᾶται τὴν πήρωσιν*, quam fabulam si tractavit Sophocles, Sol apparuit.

Bacchus autem iuvenis certe introductus est in *Διονυσίσκῳ σατυρικῷ*[1], qua in fabula de vini inventione actum esse locus Bekkeri Anecdotorum demonstrat, unde in Sophoclis Dionysisco satyros dixisse cognoscimus se tunc primum vinum gustasse (fr. 174 N). Concludendum igitur est etiam id, quod hunc gustum praecedit, nempe vitem a Baccho repertam esse (cf. Apollod. III 33) in scena actum fuisse[2].

Haec sunt, quae de partibus deorum tragicis e Sophocle

[1] Hunc fuisse fabulae titulum demonstravit O. Crusius Mus. Rhen. XLIII (1893) 152. Nauckii autem fragmenta laudant *Διονυσιακὸν σατυρικόν*, id quod sensu cassum est.

[2] Inter tragicos minores praecipue Achaeus (TGF p. 746 sqq.) deos in fabulis satyricis introduxit; neque vero praeterea quidquam ex illorum tragicorum fragmentis de partibus deorum tragicis comperimus. Quin etiam Achaeus fabulam satyricam, in qua soli dei agentes prodierunt, conscripsit, si quidem recte Welcker censuit eum in Hephaesto satyrico tractasse, quae Hyginus fab. 166 et Pausanias I 20, 3 tradunt. Tum etiam in aliis fabulis satyricis deos adhibuit: in Aethone Charontem (fr. 11), in Iride Satyris Iridem et Bacchum (fr. 20), Momum scilicet in Momo. Nam etiam haec fabula satyrica videtur fuisse, cum Momi persona (cf. in Roscheri lex. Tuempelium s. v. *Momos*) huius modi fabulae aptissima et Sophoclis quoque Momus satyrica fabula esset. Etiam unum fragmentum, quod exstat (fr. 29 N), prorsus cum satyricae fabulae dictione convenit, cum in eo Mars *λῃστής* appelletur; hoc enim verbum in tragoedia vix de deo aliquo adhibitum est.

comperire possumus. In tragoediis rarius quam apud Aeschylum per totam fabulam agentes di producuntur, id quod fortasse in Thamyra et in Triptolemo factum est. Saepius nova quaedam deos introducendi ratio, quam ab Aeschylo adhibitam esse demonstrari non potest, apud Sophoclem occurrit, quod di in exitu apparentes totam tragoediam finiunt velut in Philocteta, Andromeda, Syndipnis, fortasse in Meleagro et Triptolemo. Quem usum num fortasse Sophocles ab Euripide susceperit, postea erit quaerendum (cf. infra in capite tertio exeunte). Unius fabulae initio, quantum videmus, apparuit deus: in Aiace.

Religioni autem praecipue inserviunt di in Aiace, Triptolemo, Philocteta, fortasse in Thamyra, cum deorum facta purgent et homines ad pietatem erga deos excitent. Quo cum deorum officio eodem more atque apud Aeschylum *αἴτια* cohaerent, dum dei cultus ritusque instituunt aut eos fore vaticinantur. Atque ipso deos purgandi consilio efficitur, ut futura renuntientur, ne homines, quin dei omnia ad bonum exitum perducturi sint, dubitent. Hoc consilio, ut etiam postero tempori deos providere appareat, commotus Sophocles in Philocteta Herculem facit futura renuntiantem eademque de causa etiam in Andromeda et fortasse in Meleagro deos in ipso exitu adhibuit. His igitur in fabulis videmus etiam novam deorum tragicorum speciem, qui dei in finibus tragoediarum interveniunt, ludi sacri rationem prae se ferre, id quod dici non potest de Thetide in Syndipnorum fine adhibita. Haec fortasse iis solis de causis apparuit, quod Sophocles iam in epico carmine deam invenit eamque, ut splendidum exitum efficeret, inde assumpsit.

Tum in fabulis satyricis et in Inacho, cui iocosa indoles fuit, deos non severe sed hilariter quin etiam interdum ut Mercurius et Iris in Inacho scurriliter introductos esse ex ipsa harum fabularum natura suspicandum est et duobus tantum exemplis monstrare potui. Rebus ad religionem pertinentibus huiusmodi deos deditos non esse apparet, sed interdum etiam indolis aliquid ludi sacri in eos transit, sicut *αἴτια* per deos explicata iam in Aeschyli fabulis satyricis invenimus atque etiam in Inacho Sophoclea Argivi nominis, in Dionysisco vini *αἴτια* infuisse conici potest.

CAPVT III

De Graecorum deorum partibus Euripideis

Euripides, qui in aliis rebus multo minus quam Aeschylus et Sophocles religioni deditus erat, tamen saepius quam ceteri omnes, quantum scimus, Atticorum tragici deis usus est. Atque in una tragoedia, in Bacchis, per totum argumentum deum produxit, in altera, Hercule, deos adhibuit in medio. Praecipue autem in prologis atque multo saepius in finibus tragoediarum deos facit apparentes, e quibus, qui in finibus (et in Hercule) interveniunt, eos non ut plerumque Aeschylus eadem in orchestra atque ipsi homines prodeuntes sed in machina per aerem advolantes facere solet, qua de causa *θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς* appellantur[1].

Huius autem rationis duas causas proferre licet. Primum enim Euripidis temporibus machinas multo artificiosiores conficiebantur quam Aeschyli aetate, ita ut poetae scenici facilius miro apparatu usi civibus spectandi cupidis satisfacere possent. Deinde Euripidis aequales iam destiterant illa animi simplicitate, qua commoti Athenienses priorum temporum deos arte cum hominibus coniunctos et inter ipsos homines prodeuntes toleraverant, immo deos ab hominibus discerni hominumque rebus quasi ex caelo prospicere aptum putabant. Huiusmodi autem dei, qui longe supra hominum sortes elati paene extra eorum negotia versantur, ex ipsa rei natura

[1] Quibus rationibus dei spectantibus sint demonstrati, optime explicavit Aemilius Reisch *Griechisches Theater* p. 225 sqq.

vinculo multo lentiore cohaerent cum totis fabularum argumentis quam verbi causa dei illi Aeschylei, qui in Eumenidibus primas omnino partes obtinent vel illi, qui in Troicis fabulis epica ratione ad homines devertuntur.

Prologorum autem dei etiam apud Euripidem in fabulis, quae adhuc exstant, machina, quantum videmus, non utuntur, sed aut in eadem orchestra atque ipsi homines aut interdum fortasse *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* apparent [1]. Sed etiam, cum eodem loco quo homines introducuntur, tamen hi dei non minus ab hominibus seiunguntur quam illi *θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς*, quoniam in scenam prodeunt, antequam ipsi homines adsint. Sed eo, quod prologorum dei in machinis ostendi non solent, efficitur, ut, si breviter de Euripidis deis ex machina loquimur, eos spectemus, qui in finibus adhibeantur, ut iussu suo tragoedias ad exitum perducant, quosque persaepe in fabulis illius poetae adhibitos esse iam monuimus.

Hac de ratione Euripidea iam veterum viri docti disseruerunt neque tamen conati sunt exquirere, quibus de causis ipse Euripides eam adhibuerit, sed de suo iudicaverunt, quo more dei essent adhibendi. Propterea neque Aristotelis (art poet. c. 15) neque Horatii (a. p. 191) neque aliae veterum de deo ex machina *θεωρίαι* [2] quicquam ad veras ipsorum tragicorum quinti saeculi rationes intellegendas conferunt, neque habemus, cur, quas Aristotelis et Horatii temporibus philosophi et critici tragoedias componendi rationes proposuerunt, eas iam Aeschylo Sophocli Euripidi placuisse putemus [3].

Multis autem nostra quoque aetate probatur [4], id quod iam in antiquitate vulgo existimabant, tragicos, cum eo tragoediam perduxissent, ut ad exitum cum fabulis vulgo traditis congruentem pervenire non possent, deos adhibuisse, qui res humanis rationibus inextricabiles suo iussu ac sua divina potestate extricarent. Hoc modo iam Plato Cratyl.

---

[1] Cf., quae infra in fine huius capitis ostendam.

[2] Quae veteres de deo ex machina protulerunt, collegit C. F. A. Fritzsche Ind. lect. Rostoch. sem. hib. 1843/44. De praecipua eorum *θεωρίᾳ* statim locuturus sum.

[3] Cf. etiam A. Dieterich l. p. 2 l. p. 164.

[4] Exempli causa conferri potest Christ-Schmid *Gesch. der griech. Litter.* p. 361.

425 D, Antiphanes apud Athenaeum VI p. 222 C, Cicero de nat. deor. I 20 iudicaverunt. In Euripidem autem hoc non convenire luculenter iam P. Décharme ostendit [1], et ipsi videbimus; nam plerasque fabularum eius adhuc exstantium sine deo componi posse licet demonstrare. Etiam alia quaedam, quae vera et ad intellegendas Euripidis rationes idonea sint, explicavit Décharme praeterque eum, ut hoc loco ceteros quoque viros doctos afferam, qui nostris temporibus de hac quaestione egerunt, Lindskog et quamquam satis pauca Schrader, quos supra p. 50 sq. commemoravimus. Neque tamen priorum tragicorum rationem satis spectaverunt, quo factum est, ut de ratione Euripidea in omnibus partibus recte non possent iudicare. Huc accedit, quod Lindskog paucas tantum fabulas perlustravit, Schrader autem falso ab illis Aristotelis et Horatii iudiciis egressus praeter ea ex suo arbitrio leges quasdam artis tragicae sibi finxit, quales veteribus tragicis imputare non licet (cf. supra p. 50 sq.).

Restat Augustus Dühr, qui in dissertatione Rostochiensi 1873 et in programmate Stendaliensi 1875, quae inscribuntur 'de deo ex machina Euripideo', conatus est demonstrare epico more Euripidem tragoedias composuisse et sicut Homerus deos coram hominibus interesse resque eorum discernere finxisset, ita Euripidem eos adhibuisse ad nodum fabularum, ut hanc imaginem nostratibus notissimam in Latinum sermonem transferam, solvendum. Hac de sententia opus non est verba facere, postquam in Aeschyli Sophoclisque tragoediis tractandis de diversis epici carminis et tragoediae rationibus fusius diximus. Nam etiam in dis Euripideis rationem plane ab epica abhorrentem inveniemus.

Sed ad ipsas Euripidis tragoedias aggressi primo deos, qui in finibus fabularum apparent, perspiciamus.

Iam ex Aeschyli Eumenidibus cognovimus ipsius deorum ludi sacri naturae esse cultus sacraque condere. Plane eandem rationem in Euripidis Minerva Iphigeniae Tauricae fini inserta reperimus, quae sacra illa veterrima et sanctissima instituit, quibus Halis et Braurone Diana, cui cognomen erat

[1] *Euripide et l'esprit de son théâtre, Paris* 1893 p. 388 sqq.

Ταυροπόλος, celebrabatur[1]. Hac in re tamquam fastigium continetur tragoediae, in qua omnia efficiuntur eo, quod Orestes Apollinis mandatis obsecutus deae Tauricae imaginem in Atticam transferre studet, ut ibi sacris cultuque colatur. Dici igitur potest tota illa tragoedia *αἴτιον* illius cultus. Itaque in Iphigenia Taurica Euripides usitatum veterum tragicorum morem secutus est. Fortasse eo magis poetae intererat Minerva in exitu tragoediae introducta hoc *αἴτιον* quam maximam habere gravitatem, quod plane novam fabulae formam spectantibus praebuit. Nam Orestes secundum vulgarem opinionem, quam Aeschylus in Eumenidibus, ipse Euripides in Electra et Oresta secutus est, Athenis iudicio Areopagi a Furiis liberatus esse tradebatur. Ceterum Minerva in Iphigenia Taurica, praeterquam quod cultum Brauronium instituit, rationis quoque, quae in ferendis sententiis ab Areopago adhibebatur, *αἴτιον* refert (v. 1470 sqq.[2]).

Veteris autem ludi sacri dea Euripides hac in fabula ad id quoque utitur, ut faciliter argumentum peragat. Falso enim Schrader Mus. Rhen. XXII 557 sq. contendit deam facillime praetermitti potuisse, si Euripides tempestatem illam non finxisset, qua v. 1394 sqq. Orestae navis ad litus repellatur. Hanc autem poetam ad id ipsum esse commentum, ut deum arcessere posset. Nam, quamquam Oresta et Iphigenia cum Dianae statua in Graeciam profectis summa tragoediae est explicata, tamen, nisi dea intercederet, haud fieri posset, quin Thoas summa ira inflammatus ad fugientes persequendos contenderet et Iphigeniae servas trucidari iuberet, cum sacrilegii consciae esse viderentur (cf. v. 1298 sqq., 1431 sqq.). Haec si essent facta, animi spectantium graviter essent afflicti, cum Iphigeniae et Orestae sortibus metuerent et eas, quae summo dominae servandae studio flagrantes ipsae morti se dederunt, crudeli supplicio affici valde dolerent. Minerva igitur opus est, quae Thoantem et persequendo et irascendo desistere iubeat.

---

[1] Cf. in Roscheri lex. Schreiberum s. v. *Artemis* I 585 sqq.

[2] Cf. Aesch. Eum. 741 sqq. Aristid. II p. 20 sq. (Dindorf).

In huius fabulae exitu satis memorabilis est v. 1447, quo Orestam absentem dea alloquitur:

κλύεις γὰρ αὐδὴν καίπερ οὐ παρὼν θεᾶς.

Deos absentes hominum precantium verba audire omnibus religionibus constat, atque, ut ex ipsis Graecorum tragicis exemplum afferam, Aeschyleus Orestes Eum. 298 Minervam precatus dicit:

ἔλθοι, κλύει δὲ καὶ πρόσωθεν ὢν θεός.

Hoc Iphigeniae loco et in Helenae exitu v. 1662 Euripides e contrario divina potentia usus ad homines absentes deorum verba pervenientia fecit, ut absentibus, quae agerent, a dis mandari posset.

Perspecta hac tragoedia, in qua quantum Euripidea ratio cum vetere more tragico cohaereat, clare cognoscimus, ad ceteros fabularum fines a dis perfectos transeamus atque primo loco exitus adhuc exstantes perlustremus eo ordine, quo actae videntur esse tragoediae [1], quoad fieri potest, servato.

His in fabulis primus, quantum scimus, deus adhibitus est in Hippolyto *Στεφανηφόρῳ*, quae tragoedia ex hypothesis testimonio anno 428 acta est. Diana enim, cum Hippolytum innocentem esse nuntiet, argumentum perficit. Hanc praetermittere vix potuit Euripides. Nam Phaedra iam vita decessit, chorus autem et ipse Hippolytus, ne facinus eius prodant, iure iurando obstricti sunt, atque falso censeat aliquis facile fieri potuisse, ut per nutricem Phaedrae omnia Theseo nuntiarentur, Phaedra, qua invita Hippolytus novercae amorem comperisset, excusaretur, adulescenti dolis perdito post mortem saltem satisfieret. Probabiliter enim contendere licet Euripidem vix aptum putasse mulierem, quae dominae erat deditissima eiusque morte graviter affligebatur, ipsius dominae culpam aperire atque id, ut ei satisfieret, propter quem illa mortem sibi conscivit [2]. Quae cum ita sint, sola dea, quae facta erant, potuit renuntiare.

[1] Cf., quae Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1248 in universum et ad singulas fabulas de temporibus, quibus actae sunt, adnotavit.

[2] Cf., quae de nutricis indole proposuit U. de Wilamowitz *Euripides Hippolytos, Berlin* 1891 p. 50.

Sed etiam aliis de causis satis gravibus Dianam esse adhibitam videmus. Nam primo aptissimum ac fere necessarium erat Hippolyto deam, quam maxime omnium colebat, in periculo non plane deesse[1]. Atque eo magis miraremur, si Diana non prodiret Hippolytum adiutura, quam ille ab altera dea, Venere, in perniciem conicitur. Nam omnino intellegere non liceret, qua tandem de causa Diana, quoniam et ipsa dea est, Hippolytum a Veneris insidiis non defenderit. Recte igitur iam Schrader Mus. Rhen. XXIII 109 sqq. contendit vel ideo Euripidi opus fuisse Dianam introducere, quod Veneri tantum in tragoedia momentum concessisset. Et cogitasse re vera de hoc Euripidem inde elucet, quod expressis verbis Dianam facit demonstrantem, cur Hippolyto antea non adfuerit (1328—1341).

Apparet igitur Diana in fine saltem, ut filio patris gratiam reconciliet et Hippolytum consolata aeternam gloriam et honores fere divinos ei polliceatur. Troezene enim cultu sacrisque eum iri celebratum affirmat (v. 1423 sqq.)[2]. Sic scite Euripides veterem tragicorum morem secutus *αἴτιον* quoque cultus cuiusdam divini fabulae inseruit.

Sed non modo, ut Hippolyto aliquid solacii praebeatur, verum etiam, ut religione imbuatur tragoedia, hoc proferri coniectare licet. Nam religioni quoque inservit Diana, cum animos spectantium a deorum crudelitate revocet. Pius enim poeta aliquis ut Aeschylus et Sophocles etiam culpam Hippolyti graviter accusaturus et, cum Venerem superbe ille offendisset (cf. v. 101 sqq.), iusto supplicio eum affectum esse affirmaturus fuisset. Euripides autem de Hippolyti erga deos culpa omnino non verba facit, immo Venerem ut iniustam et ultione dignam a Diana castigatam inducit (1416 sqq.). Ipse igitur Euripides, ut certe hac ex re concludere possumus, Venerem, quae feroci ulciscendi studio incitata castum iuvenem necaverit, repudiavit. Tamen ei, ne religio populi laederetur, velanda saltem erat deorum crudelitas, quam quin ipse vituperaret, abstinere non potuit. Hoc autem effecit, cum Hippo-

[1] Cf. U. de Wilamowitz ibidem p. 53 sq.

[2] De Troezenio Hippolyti cultu cf. Sauerum in Roscheri lex. s. v. *Hippolytos* I 2682 sq.

lyto pro crudeli, qua afflictus erat, sorte divinos honores per deos institutos faceret et usitato more tragico cum religione atque cultu deorum argumentum tragoediae coniungeret.

Gratia autem patris innocenti iuveni reconciliata atque deorum crudelitate deminuta etiam animi spectantium pacatiores sedatioresque redduntur [1].

In Andromacha Thetis, postquam ipsa fabula iam est peracta, Peleum consolata v. 1231 sqq. praecipit, ut Neoptolemus Delphis sepeliatur, Andromacha Heleno in matrimonium data partem Myrmidonum regni suscipiat. Eadem vaticinatur per multos annos Pelei gentem feliciter regnaturam ipsumque Peleum aeterna iuventute praeditum uxoris pristinae consuetudine esse usurum, Achillem Leucae sedem habiturum. Quae cum proponat, omnia bono consilio a dis facta esse demonstrat neque tamen Iovis voluntatem ulla re commutari posse (v. 1268). Haec consolatio si neglegeretur, altera tragoediae pars Apollinis esset acerrima accusatio, quem feroci ulciscendi cupiditate concitatum totam gentem exstinxisse antea dictum erat (1161 sqq. 1212). Etiam in hac igitur fabula dea quaedam, cum deos fatumque purget, religione imbuit exitum, per quem *αἴτια* cum fabulae argumento cohaerentia coniunguntur. Explicatur enim, qua de causa Neoptolemus Delphis, ubi sepulcrum eius etiam Pausaniae temporibus monstrabatur et a Delphis lustris et piaculis celebrabatur (Paus. X 6), conditus, qua re Peleus in deorum numerum receptus [2], qua ex origine Molossorum regum gens procreata sit [3].

Thetis autem, non alia dea, ad fata purganda et *αἴτια* enarranda adhibetur, quod ipsi artissima coniugii vincula cum Peleo intercedunt. Eodem modo in Helena et Electra Castores introducuntur, quod cum Helena et Clytaemestra eiusque liberis cognatione coniunguntur.

In Supplicibus, quae fabula anno 421 acta esse

---

[1] In Hippolyto Velato eadem ratione atque in servata fabula Dianam apparuisse et Hippolytum cultu celebratum iri nuntiasse demonstratur Eur. fr. 446 N.

[2] In beatorum insulam Peleum esse traductum Pindarus Ol. II 141 tradit.

[3] De Molosso eiusque gente cf. Tuempelium in Roscheri lex. s. v. *Molottos* II 3114 sq.

videtur[1], Theseus Adrastri matrumque septem ducum precibus commotus et Atheniensium auxilio adiutus Thebanos corpora mortuorum reddere cogit. Quae fabula iam in hypothesi ἐγκώμιον Ἀθηνῶν appellatur et iure quidem, cum Athenienses ut homines generosi aliosque liberaliter adiuvare parati inducantur. Funere redditorum peracto primum Theseus quidem Argivos admonet, ut semper beneficiorum ab Atheniensibus acceptorum memores sint, deinde autem ipsa Minerva apparet, quae Adrastum iurare iubet Argivos nunquam Atheniensibus bellum illaturos semperque aliis repugnaturos esse, si hoc facere conentur. Quod foedus sollemni sacro sanciendum, tripodem, in quo foederis condiciones sint inscriptae, Delphis statuendum, cultrum in sacrificiis adhibitum in terra condendum, locum vero, quo ducum illorum corpora sint combusta, dis sacrandum esse (1183—1212). Tum bellum Epigonorum Minerva praenuntiat.

Argumento igitur iam peracto propterea solum dea apparet, ut foedus inter Argivos et Athenienses faciendum eodem modo sacret, quo Aeschylus in Eumenidibus usus est. Certe autem conici potest Euripidem, sicut Aeschylus ad foedus anno 462 factum spectavit (cf. supra p. 6), hanc fabulam scripsisse, ut consilio eorum, qui annis fere 421/20 societatem inter Athenienses et Argivos facere studuerunt (Thuc. V 43 sqq.), adiuvaret. Propterea quot et quanta beneficia pristinis temporibus Argivi ab Atheniensibus accepissent, explicavit et, quae ipsius temporibus perficienda esse videbantur, usitata ratione tragica heroum temporibus per deos instituta esse finxit. Foederi sollemniter instituto convenit etiam accurata sacrati tripodis ritusque in pangenda societate adhibendi descriptio. Foedera autem Atheniensium sacrare Minervae, summae Athenarum deae, est, quae eadem in Iphigenia Taurica Atticos cultus instituit.

In Ione Minervam Euripides, nisi aliis de causis extra argumentum fabulae positis eam introducturus fuisset, facile praetermittere potuit. Ionem enim Apollo iam Xutho filium dederat, eundem filium suum et Apollinis esse Creusa agnoverat et tam certa argumenta attulerat, ut ipse Ion illam re

[1] Cf. Albrechtum Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1259.

vera matrem suam esse sibi persuaderet (1518 sq. 1608). Etiam credere Ioni licebat Apollinis se esse filium, cum omnia a deo sapienter consultoque directa esse iam clare apparuisset. Tamen modo paene incredibili eum dubitantem induxit Euripides ea de causa, ut deum aliquem adhibere posset.

Minerva igitur intervenit, quae Apollinem excusat, quod non ipse venerit (1557 sq.) Ionisque patrem eum esse confirmat (1560). Tum expressis verbis demonstrat omnia magna cum sapientia ab Apolline perfecta esse (1563—1568), id quod in fine orationis denuo affirmat: *καλῶς δ' Ἀπόλλων πάντ' ἔπραξε.* Tam enixe autem in hac ipsa tragoedia Apollinem purgare studet Euripides, quoniam antea saepius gravissime eum vituperavit. Sic v. 339 Ionem, cui Creusa amicam cum Phoebo concubuisse refert, quasi abhorrentem a dei infamia fecit exclamantem:

Φοίβῳ γυνὴ γεγῶσα; μὴ λέγ', ὦ ξένη,

et paulo post idem: Apollo, inquit, *αἰσχύνεται τὸ πρᾶγμα.* Versibus autem 444—451 Ion Apollinem Iovem Neptunum acerbis verbis vituperat, quod ipsi stuprorum exempla hominibus proposuerint. Apollinis facinus 252 *τόλμημα,* 288 *αἰσχύνη,* 505 *πικρῶν γάμων ὕβρις* appellatur, et 881—922 Creusa deum ut scelestum atque impudentem moechum accusat.

Sed in fine ipsa Creusa ea, quae Apollini exprobravit, irrita facit (1609 sqq.) et eam ob rem a Minerva laudatur (1614 sq.). Chorus autem Apollinis deorumque omnium sapientiam praedicans totam fabulam finit. Quae cum ita sint, pro certo haberi potest Euripidem ipsum existimasse non esse ferendum, quod caelestes cum mulieribus mortalibus stupra fecisse tradebantur, ita ut temperare sibi non potuerit, quin libidinosum illum Apollinem gravissime vituperaret. Eundem igitur in Ione se praebet Euripides qualem in Hercule, ubi v. 1341 sqq. viles poetarum fabulas esse contendit, quod deos iniustis amoribus frui narraretur. Quam sententiam eum ex Xenophane assumpsisse verisimile est, qui iam ante Euripidem graviter in poetas invectus est, quod tradebant deos

κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν [1].

[1] Diels *Fragmente der Vorsokratiker*², *Berlin* 1906 I 48 fr. 11; cf. U. de Wilamowitz *Eur. Her.* II² 272.

Sed in tragoedia, quippe quae ad honorem deorum etiam tunc ageretur, ea, quae dis exprobraverat, poetae irrita erant facienda, nisi populari religione laesa odium populi voluit excitare. Qua de causa Euripides in fine tantum huius tragoediae populari religioni satisfecit et omnibus opprobriis praetermissis cuncta a dis sapientissime directa esse Minervam induxit affirmantem [1].

Praeterea res futuras vaticinata dea mandat, ut Creusa cum filio Athenas eat, ubi Ion auctor Ionum et Atticarum tribuum indigetum sit futurus, e Xutho autem et Creusa Dorum et Aeolorum gentes sint oriturae. *Αἴτια* igitur Atticarum tribuum et Graecarum gentium tragoediae fini inserta sunt [2].

Duabus ergo de causis Euripides adhibuit Minervam, ut Apollinem purgaret et *αἴτια* illa cum tragoediae argumento coniuncta referret. Generum autem Atticorum origines proponere Minervam decuit, qua de causa Apollo scite excusatur, quem ob pudorem fecit Euripides non venientem (v. 1557 sq.).

In Electra, cum Clytaemestra et Aegistho necatis Orestam et Electram facti paeniteat, ille furiis agitatus ad deum consulendum Delphos properare, haec ad Pyladem confugere potest. Hoc si finxisset Euripides, etiam deo non inserto argumentum explicare ei licuisset. Tamen Castores introduxit, qui primum omnia, cum a fato essent praedestinata, perferenda esse ostendunt (1247 sq.). Qua excusatione re vera deos non purgari apparet, et hac in fabula Euripides non modo antea gravissime in deos invectus est (cf. v. 971. 979), sed ne in fine quidem, quae ipse de Apollinis oraculo sentiat, dissimulat (cf. v. 1244 sqq. 1296), tamen, cum in sacro ludo

[1] Hanc indolem Ioni fabulae esse vidit iam Lindskog l. p. 51 l. p. 68 sq.

[2] Quattuor veteres Atticorum tribus ex Ionis filiis esse nominatas etiam Herodotus V 66, Pollux VIII 109, Stephanus Byzantius s. v. *Αἰγικόρεως* testantur. Neque Plutarcho Sol. 23 hoc ignotum est, etsi aliam quoque nominum illorum explicationem exhibet. Sed quod Dorum et Aeolorum genealogiam attinet, Hesiodus (fr. 7 Rzach) Dorum, Xuthum, Aeolum fratres Hellenisque filios fuisse praebet. Euripides igitur aut ipse consulto veterem fabulam commutavit, ut etiam Dorum et Aeolorum originem ex stirpe regia Atheniensium deducere posset, aut iam in ipsis Atticorum f bulis eam, quam praebet, mythi formam invenit.

religio aliquo modo esset servanda, omnia a fato esse praedestinata praedicat. Deinde Castores, quae sint facienda, edicunt, quibus verbis etiam Areopagi[1] et Orestei, oppidi Arcadiae[2], *αἴτια* inseruntur. Usitato igitur tragicorum more institutorum quorundam, quae monumenta expiati matricidii a posteris quoque credebantur, origines proponuntur. Denique cum Castores inde a v. 1347 in mari Siculo naves servaturos, iustis ac piis hominibus auxiliaturos, scelestium vitae non provisuros se esse declarent moneantque, ne quis cum periuro homine naviget, his verbis ad Siciliensem Atheniensium expeditionem et ad Alcibiadis proscriptionem alluditur[3]. Eandem res publicas per deos commemorandi rationem iam apud Aeschylum in Eumenidibus invenimus, ita ut etiam hac in re veterem morem tragicum ab Euripide adhibitum esse appareat.

Plane autem singulare neque in ulla alia tragoedia adhibitum est, quod dei verbis scite in aliam fabulam spectantium animi convertuntur. Versibus enim 1280 sqq. indicatur Helena, quam paulo post daturus erat Euripides[4].

In Helena, postquam Menelaus cum uxore altum tenet, nihil restat, nisi ut rex Aegypti Theonoae sorori ignoscat, quae eum de Menelai adventu certiorem non fecerat. Hanc fabulam meliorem fuisse futuram Schrader Mus. Rhen. XXII 560 censuit, si Euripides Theonoae personam omnino non introduxisset. Tum etiam deis in fine opus futurum non fuisse. Neque potest negari illa adhibita magnas argumenti pertractandi difficultates ortas esse[5]. Tamen censeo Euripidem

[1] De Areopago cf., quae supra p. 4 exhibui.

[2] Hoc de oppido cf. schol. Eur. Or. 1646 (Schwartz), Pausan. VIII 3, 2, Steph. Byz. s. v. *Ὀρέσται* et *Ὀρεστία*.

[3] De Wilamowitz *Die beiden Elektren* Hermes XVIII (1885) 223.

[4] Hanc in sententiam plerique adhuc viri docti ierunt (cf. Lindskogium l. p. 51 l. p. 117, A. Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1261). Iacobus autem Oeri *Euripides unter dem Drucke des sizilischen und dekeleischen Krieges*, *Gymnas. Progr. Basel* 1905 contendit versibus, de quibus agitur, ad Helenam ut ad fabulam iam antea actam respici. Sed quod Oeri Helenam anno 414 ante Electram datam esse proposuit, hoc non modo nullo certo argumento firmavit sed etiam contra testimonium Aristophanis scholiorum (cf. A. Dieterich l. l. 1248) protulit.

[5] Lindskog p. 113 sqq.

Theonoae persona, quam in Stesichoro iam invenit[1], consulto carere noluisse, cum ad fabulam uberius exornandam et spectantium animos diutius intendendos multum valeret[2]. Atque illam ne praetermittere quidem ei opus erat, si dis non adhibitis fabulae finem dare voluit, cum si Theoclymenum paulo meliorem iustioremque fecisset atque Theonoae maiorem auctoritatem tribuisset, facile fieri potuerit, ut soror regi non poena sed gratia se esse dignam persuaderet, cum et patris voluntati satisfecisset et fratri innocentiam donasset. Ad iram igitur regis placandam dis opus non est, et, cum alias rationes quaerimus, futura Castores vaticinari et *αἴτια* explicare omniaque ex fato ac deorum voluntate facta esse demonstrare (cf. 1660 sq. 1669) invenimus. Vaticinantur enim Helenam in patriam esse redituram et post mortem in deorum numerum receptum iri, Menelao autem in beatorum insulis sedem esse futuram. *Αἴτια* autem proponuntur, cum divinorum honorum Helenam participem esse futuram[3] et insulae cuidam prope Actam sitae, quae primam quietem Sparta relicta fugienti dedit, Helenam nomen fore referatur[4]. Quae cum demonstrentur prioraque mala in melius redigantur et omnia ex fato facta esse ostendatur, di crudelitatis opprobrio quodammodo liberantur. Arguuntur autem numina crudelitatis hac in tragoedia si non tam certis verbis ut in Ione et in Electra at tamen ipsis innocentis Helenae doloribus (cf. 164—178, 191—209, 229—251, 255 sqq.).

Iphigenia Aulidensis, quae quidem adhuc exstat, finitur oratione nuntii, qui Iphigeniam miro modo abreptam esse narrat, et Agamemnonis verbis, qui uxorem consolatus filiam in deorum numerum receptam esse contendit. Sed etiam alium exitum veteribus fuisse Aeliani loco (*περὶ ζώων* VII 39) ostenditur, quo hi versus Iphigeniae Aulidensis traduntur:

[1] Lindskog p. 107 sqq. hoc magna cum veri specie et ex nomine *Εἰδώ*, quod Hel. 10 sqq. commemoratur, et ex ipsa Theonoae partium natura demonstravit.

[2] Eidem sententiae etiam Lindskog se addicit p. 116 sq.

[3] De Helenae cultu cf. R. Engelmann apud Roscherum s. v. *Helena* I 1949 sqq.

[4] Testimonia ad Helenam insulam pertinentia Pape collegit in lexico Graecorum nominum propriorum s. v. *Ἑλένη* no 14.

Ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνθήσω φιλαῖς
κεροῦσσαν, ἣν σφάξαντες αὐχήσουσι σὴν
σφάξαι θυγατέρα.

Haec Dianam, quae, ut virgo immolaretur, flagitaverat, locutam esse et ex ipsis verbis certe apparet et Cypriorum argumento demonstratur, quo ex carmine Euripides quoque tragoediam suam desumpsit. Legimus enim apud Proclum (Kinkel p. 19): *Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν (τὴν Ἰφιγένειαν) ἐξαρπάσασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίστησι τῷ βωμῷ.* Hanc exitus formam, cuius memoriam servavit Aelianus et in qua per deam *ἀπὸ μηχανῆς* fabula finitur, genuinam esse vel ex usitata Euripidis ratione coniciendum est. Videtur igitur hic esse exitus, quem aut ipse Euripides aut, si imperfectam reliquit tragoediam [1], filius, qui patre mortuo Corinthi Iphigeniam egit [2], patris exemplum secutus confecit [3].

Hac in fabula ad nodum explicandum dea opus non est, cum ipse exitus spurius, quem nos habemus, optime demonstret, quomodo sine deo tragoedia potuerit absolvi. Sed dea, quae in epico carmine iam exstabat, in tragoediam quoque translata et, quantum videmus, ea de causa adhibita est, ut matrem filiae morte afflictam consolata futuras res vaticinetur. Verisimile enim hoc quoque est Dianam de Iphigeniae apud Tauros sacerdotio et de Troicis rebus verba fecisse. Quae si fiebant, aliquatenus etiam dei purgabantur, cum eos omnia ad bonum exitum perduxisse neque crudeliter innocentis hominis mortem postulasse demonstraretur. Antea autem non modo Achilles vates et vaticinia (955 sqq.) sed etiam chorus ipsam Dianam aggressi sunt (1403). Si vero talia praecedunt, tum in fine

[1] Cf. A. Dieterich apud Pauly-Wissowam VI 1263.

[2] Schol. Arist. Ran. 67.

[3] De tota quaestione conferenda sunt, quae Christ *Gesch. der griech. Lit.*[5] p. 353 contulit, qui etiam praecipuos de hac re libros affert. Plane novam sententiam Oeri l. p. 72 l. proposuit, qui p. 18 sqq. finem exstantem ab Euripide, finem, cui Diana inserta est, a filio eius confectos esse demonstrare conatus est. Prorsus autem reiciendum hoc esse censeo, nam neque certa argumenta Oeri protulit neque ulla alia Euripidis fabula ita absolvitur, ut pro deo in fine introducto longa nuntii cuiusdam oratio addatur. Hoc autem in Iphigenia fine exstanti invenimus.

deos purgari iam in Sophoclis Philocteta et in Euripidis Ione, Electra, Andromacha, Helena vidimus.

Iis, quae dea profert, spectantium quoque animos sedari et pacari nemo non videt, tamen hac de causa dea opus non erat, cum idem sine divina ope nuntii et Agamemnonis verbis in spurio exitu efficiatur.

Hoc loco addamus Antiopam, cuius fabulae, quamquam ipsa non est servata, tamen argumentum Hygini fabula octava praebetur, qua Euripideam Antiopam se tradere certis verbis contendit ille mythographus, exitus autem nostris temporibus in papyro quadam Aegyptiaca repertus est. Hunc, qui optime cum Hygini verbis congruit, vir doctissimus Britannicus Mahaffy edidit in ephemeride, quae vocatur *Cunningham Memoirs*, v. VIII *Dublin* 1891. Egit de eo imprimis Henricus Weil *Journal des Savants* 1891 p. 528 sqq.[1].

De Antiopa Euripidea ex Hygino haec comperimus: Antiopa, Nyctei, Boeotorum regis, filia, a Iove vitiata atque verita, ne a patre crudeliter puniatur, in Cithaeronem fugit ibique duos filios parit. Quos relictos pastor aliquis educat iisque Zethum et Amphionem nomina indit. Ipsam Antiopam Epopeus Sicyonius uxorem ducit. Nycteus autem moriens Lycum fratrem obsecrat, ut eam eiusque maritum ulciscatur. Necato deinde Epopeo Antiopa in vincula conicitur et crudeliter a Dirca, Lyci muliere, vexatur. Tandem effugit et ad filios, qui apud pastores adulti matrem non noverunt, pervenit sed denuo a Dirca comprehensa ad mortem abducitur. Tum autem Zethus et Amphion ex pastore, qui olim eos recepit, comperiunt illam matrem suam esse, quo audito Antiopam servant Dircamque ad taurum alligant, ita ut usque ad mortem trahatur. Lycum necare vetantur a Mercurio, qui illum Amphioni regnum tradere iubet.

Etiam in Antiopa nemo iure contendat ea praecipue de causa deum esse introductum, quod aliter tragoedia finiri non potuerit. Quid enim impedivit, ne Lycum, sicut apud Apollo-

[1] Conferendi praeter hos sunt Mahaffy *Hermathena* XVII (1891) 38 sqq.; Mekler *Neues von den Alten, Wien* 1891; Rutherford et Campbell *Classical Review* V (1891) 123 sqq.

dorum III 44 traditur, Euripides necatum faceret, quo acto Antiopae filii cum matre Thebas proficisci potuerunt, ut rerum potirentur. Talis exitus nemini crudelior videri potuit, cum etiam Lycus, qui tot annos Antiopam infelicem vexari siverat, supplicio non esset indignus. Neque quinto a. Chr. saeculo Lyci mors a fabulis vulgo traditis aliena videtur fuisse, cum haec fabulae forma non modo apud Apollodorum, ut iam commemoravi, sed etiam in fragmento quodam, quod Ernestus Graf [1] Hellanico tribuit, exstet. Qua de causa Euripides, etsi etiam in Herculis Furentis prologo eundem Lycum servatum videtur fecisse [2], tamen hoc loco eadem ratione fabulam disponere coactus non erat, praesertim cum saepius in aliis fabulis aliter easdem res tractaverit. Sic in exitu Orestae et Electrae Orestes Areopagi iudicio liberatur, in Iphigenia Taurica etiam iudicio peracto ab Erinyis agitur, Hermiona in Andromacha uxor est Neoptolemi, quam ei nunquam in matrimonium datum iri in Orestae fine Apollo contendit. Haec proponere exempla satis habeo, dum alia facile conquirere licet. Sed etsi Lycum prorsus servatum facere voluit Euripides, eum etiam a Zetho et Amphione coactum deo aliquo non interveniente regnum concedentem potuit inducere. Varia igitur ratione dei praesentia evitari potuit, ita ut plane eluceat deum non adhibuisse Euripidem, quod sine eo fabulam absolvere non posset, sed quod inserturus erat fabulae fini, quae nemo mortalium potuit renuntiare.

Ipsa dei verba papyrus servavit, quae, cum exceptis, quos supra p. 75 in contextu attuli, locis publici iuris facta non sint cumque ad illos libros facilis non pateat aditus, hoc loco addam. Ex prima divinae orationis parte pauca versuum fragmenta exstant, sequuntur largiora, fragmentum C Mahaffyanum [3]:

[1] *Die Antiopesage bis auf Euripides*, *Diss. Halle* 1884 p. 22sqq.

[2] Graf l. l. p. 53sq.

[3] Quae in ipsa papyro praebentur, secundum fragmentum C Mahaffyanum exhibui, in lacunis autem explendis, cum totius loci restitutionem Weil praebeat, ea, quae is scripsit, uncis inclusa neque tamen ullis notis additis inserui, nisi quid mihi monendum erat nisive ab illo dissensi. Ceteras virorum doctorum coniecturas in commentario inveni, quod Mahaffy fragmentis addidit.

Ὅταν δὲ θάπτηις ἄλοχον εἰς πυρὰν τιθεὶς
σαρκῶν ἀθροίσας τῆς ταλαιπώρου φύσιν[1]
ὀστέα πυρώσας Ἄρεος εἰς κρήνην βαλεῖν,
ὡς ἂν τὸ Δίρκης ὄνομ' ἐπώνυμον λάβηι
κρήνης [ἀπό]ρρους, ὃς δίεισιν ἄστεως
πεδία τ[ὰ Θήβ]ης ὕδασιν ἐξάρδων ἀεί.
ὑμεῖς δ', [ἐπε]ιδὰν ὅσιος ἦι Κάδμου πόλις,
χωρεῖτε, [παῖδε]ς[2]*, ἄστυ δ' Ἰσμηνοῦ*[3] *πάρα*
ἑπτάσ[τομ]ον πύλαισι[ν] ἐξαρτύετε.
σὺ μὴ [κάμηις] τὸ πνεῦμ[α] πολεμίων λαβών[4]*,*
Ζῆθ', ὡς [πρίν, ἔχε] πόν[ο]ν, σύ[δη]ν δ' Ἀμφίονι[5]
λύραν ἐ[παιν]ῶ[6] *δ[ιὰ] χερῶν ὡπλισμένον*
μέλπειν θεοὺ[ς ὠι]δαῖσιν[7]*, ἕψονται δέ σοι*
πέτραι τε [πρ]υμναὶ μουσικῆι κηλούμεναι
δέν[δρη] τε μητρὸς ἐκλιπόνθ'[8] *ἑδώλια*
ὥστ' εὐμ[άρεια]ν τεκτόνων θήσει[9] *χερί.*
Ζεὺς τήνδε τιμὴν σὺν δ' ἐγὼ δίδωμί σοι,

---

[1] *σαρκῶν φύσιν tout ce qu'est chair* explicat Weil.

[2] [*παῖδε*]*ς* suppl. Wilamowitz; haud bene contra papyri scripturam Weil proposuit *χωρεῖτ', ἄνακτες*, praesertim cum aliis huius orationis locis Mercurius unum Amphionem *ἄνακτα* appellet (cf. infra p. 78).

[3] *Ἰσμηνὸν* falso Wilamowitz et Weil scripserunt pro *ισμηνου*, quod praebet papyrus. Nam adhibetur graece interdum *παρὰ τόπου τινός* pro *παρὰ τόπῳ τινί* (cf. Sophocl. Antig. 966. 1123 sq.) ita quidem, ut aliquantulum subaudiatur progrediendi significatio, quae inest in *παρά τινος*. Hic igitur locus explicandus est: Munite Thebas urbem, quae extenditur ab Ismeno i. e. quae sita est ad Ismenum.

[4] *συμη . . . . . το πνευα* pap. *καμοῦ* (immo *κάμῃς*, cum *καμοῦ* forma non exstet) feliciter supplevit Weil, qui ad versum explicandum affert Pollucis locum V 12: *ὄζει τὰ ἴχνη, ἀπόζει, πνεῖ, ἀποπνεῖ, ἀποφέρεται ἀπ' αὐτῶν τὸ πνεῦμα*. Haud bene proposuit Diels *σὺ μὲν φθόρον τὸ πνεῦμα*.

[5] Sic versum rectius restituit Diels, quam quod Weil papyri scripturis saepius commutatis legit: *Ζῆθ', ὡς [κυνη]γῶν· ἦσυ[χῆ] δ' Ἀμφίονι*.

[6] *ε . . . . ω* legit Weil, *κ . . . . ω* Mahaffy, quem secutus Diels *κ[ελεύ]ω* supplevit. Hoc autem eo improbatur, quod *κελεύω* cum dativo coniunctum apud tragicos non invenitur. Rectius igitur proposuit Weil *ἐπαινῶ*, quod pro *παραινῶ* in tragicis saepius exstare idem demonstravit.

[7] *ωι]δαισι. ν* pap. [8] *ἐκλιπόνθ'* Weil, *ει . . . ουσα* pap.

[9] *θήσει* sc. *δένδρη* pap., *θήσει<ς>* Weil; papyri lectio servanda et versus 52 explicandus est: ut (arbores) fabrorum manibus (*χερί* collective; cf. Kruegerum *Griech. Sprachl.* 44, 1, 7) commoditatem praebeant. *θήσειν* coni. L. Deubner.

οὔπερ τόδ' εὕρημ' ἔσχες, Ἀμφίων ἄναξ.
λεύκῳ δὲ πώλῳ τῶ Διὸς κεκλημένοι
τιμὰς μεγίστας ἕξετ' ἐν[1] Κάδμου πόλει.
καὶ λέκτρ' ὁ μὲν[2] Θηβαῖα [λήψ]εται γάμων,
ὁ δ' ἐκ Φρυγῶν κάλλιστον [εὐ]ναστήριον[3]
τὴν Ταντάλου παῖδ'[4]. ἀλλ' [ὅσ]ον τάχιστα χρή
σπεύδειν θεοῦ πέμψαντος οἷα βούλεται.

Sequuntur versus, quibus Lycus mandatis Mercurii, cui haec verba tribuenda esse ex Hygino scimus, se esse obsecuturum declarat.

In priore orationis parte gravissime corrupta, cuius reliquias ideo non exscripsi, Mercurius, ne Lycus necaretur, impedivisse eique, ut uxorem sepeliret regnoque decederet, imperasse apparet. Hyginus tradit Amphioni regnum Thebanum esse concessum, id quod papyri reliquiis confirmatur. Legimus enim fr. C 24 sq.:

. . . . . ευω . . ον εξορμωμενους
. . . . . ξ αμφιον .. τολας δε σοι,

quae recte videntur supplevisse viri docti:

[παῦσαι κελ]εύω [φόνι]ον ἐξορμωμένους
[ὁρμὴν, ἄνα]ξ Ἄμφιον, [ἐν]τολὰς δέ σοι
[Ἑρμῆς προφωνῶ πατρός vel tale quid.

Tum 35 sq. legimus:

. . . . ος μοναρχίαν
. K]αδμείοις ἄναξ.

Primo igitur loco ad Amphionem *ἄνακτα* Mercurius Iovis mandata defert, altero non duo *ἄνακτες* sed unus *ἄναξ* commemoratur, qui Cadmeorum regnum suscepturus est. Amphionem autem spectari inde coniciendum est, quod ad eum praecipue deus se convertit quodque in parte melius servata *ἄναξ* Amphion fr. C 54 maiore honore exornatur quam Zethus. Quae res eo explicatur, quod Mercurius praecipue Amphioni favebat, cui etiam lyram donavit[5]. Amphioni igitur priori

[1] *εγ* pap. [2] *λεκτρα ο μεν* pap.
[3] . . *ναυστηριον* pap. [4] *ταναλλου* pap.
[5] fr. C 53 sq., Apollod. III 43: *Ἀμφίων δὲ κιθαρῳδίαν ἤσκει δόντος αὐτῷ λύραν Ἑρμοῦ.*

regnum traditur, sed etiam Zethum honoris regii participem esse futurum, sicut eodem cultu atque Amphion celebrabatur (C 55 sq.), per se patet et eo probatur, quod infra Lycus duobus fratribus regnum concedit fr. C:

66 *Ἴτε νυν, κρατύνετ' ἀντ' ἐμοῦ τῇσδε χθονός*
λαβόντε Κάδμου σκῆπτρα, τὴν γὰρ ἀξίαν
σφῶιν προστίθησιν Ζεὺς ἐγώ τε σὺν Διί[1].

Mercurius autem, praeterquam quod, quae statim sint facienda, praedicat futurasque Zethi et Amphionis nuptias renuntiat, *αἴτια* cum fabulae argumento cohaerentia explicat. Dircae enim nomine fontem Boeotiae quendam iri appellatum docet; is postea sacerrimus a Boeotis putabatur atque sepulcrum illius reginae quasi pignus imperii custodiebatur[2]. Praeterea *αἴτια* moenium Thebanorum et cultus Zethi et Amphionis adduntur, quos *λεύκῳ πώλῳ Διός* tamquam Dioscuros Boeotorum celebratos esse hoc ex loco discimus[3]. Clare igitur videmus in Antiopa futuras res per deum renuntiari, ut *αἴτια* commode proponantur.

Mercurium autem Euripides adhibuit, cuius omnino est Iovis mandata renuntiare (C 53) quique Amphioni valde favebat.

Uno praeterea verbo commemorandum est Euripidis fragmentum 224 N, quod ex Eubuli comici apud Athenaeum[4] loco tragoediae tenorem imitanti ita restituit Nauck, ut deus aliquis tragicus Zethum Thebas, Amphionem Athenas ire iubeat. Quae verba ex Antiopa Euripidis desumpta esse Nauck contendit, qui exitum denuo repertum nondum noverat. In hoc neque exstant haec verba neque in deperdita eius parte exstare potuerunt (cf. C 44 sqq.). Parodia autem tragoediae

---

[1] Etiam in Herculis furentis prologo v. 29 sq. Euripides Zethum et Amphionem Thebis regnantes fecit:

τὼ λευκοπώλω πρὶν τυραννῆσαι χθονὸς
Ἀμφίον' ἠδὲ Ζῆθον, ἐκγόνω Διός.

[2] Plutarch. de gen. Socr. 578 B; Preller *Griech. Myth.* II[3] 33; Bötticher *Dirke als Quelle und Heroine, Berl. Winckelmannspr.* 1864 p. 12 sq.

[3] Conferendi sunt de Wilamowitz *Eurip. Herakl.* II[2] p. 13 sq., *Griech. Tragödien übers.* II 230; Bethe apud Pauly-Wissowam s. v. *Dioskuren* V 1091 sq.; Herculis versus, quos in adnotatione attuli; Pherecydes fr. 192 FHG I 95.

[4] Athenaeus II p. 474 B, Kock CAF II 167.

Eubuli verbis licet praebeatur, tamen ea ad Antiopam Euripideam iam ante reliquias denuo ad lucem prolatas eo minus Nauckio erant referenda, quod etiam contra certum Hygini testimonium pugnabant, qui expressis verbis Lycum in Antiopa a deo iussum Thebarum regnum Amphioni tradidisse refert. Nullo igitur modo tum Zethus Thebis morari, Amphion Athenas ire a deo potuerunt iuberi.

Fragmenta autem 181 et 182N, quibus Zethi et Amphionis nomina ab Euripide explicata esse docemur, inter *αἴτια* numerari possunt, sed ex prologo desumpta videntur esse, quia in hoc primum fratrum illorum nomina erant afferenda. Hic ipse prologus pastori illi, qui puerulos expositos educavit, videtur fuisse tributus (cf. fr. 179N).

In fabulis, quas adhuc perlustravimus, Iphigenia Taurica et Hippolytus ut deum ad perficiendum fabulae argumentum exposcunt ita etiam ob ipsam harum tragoediarum indolem, ut supra p. 64 sq. et p. 67 sq. explicavimus, aptissime per deum absolvuntur. In ceteris deus aut fabula iam peracta apparet aut facile exiguis rebus commutatis evitari potest. Nunc autem ad fabulam quandam transeamus, quae, etsi non ex ipsius indole deum in fine postulat, tamen per deum absolvitur, quod alia ratione omnino non ad eventum perduci potest.

In Oresta enim Electra et Orestes matre necata a populo Argivorum capitis damnati et a Menelao destituti Helenam trucidare Hermionamque comprehendere constituunt, ut illa necata Menelaum ulti eum, ne etiam filia interimatur, damnatis adesse cogant. Helenam autem di abripiunt, et Menelaus, quamquam Hermionam captam illi se trucidaturos esse minantur, tamen cunctatur. Tum vero Apollo apparet, qui omnia iussu suo componit[1].

Hac in tragoedia careri deo omnino non potest. Nam eo iam res pervenerunt, ut ipse Menelaus, etsi ob filiae salutem fratris liberos vellet servare, ne posset quidem hoc perficere, cum et Argivi parricidas ad supplicium flagitent et Tyndarus

[1] Hac in fabula explicanda Schrader Mus. Rhen. XXII 554 sqq. eandem falsam rationem adhibuit, qua eum in Sophoclis Philocteta usum esse supra p. 50 sq. vidimus. Recte hunc refutavit Lindskog l. ibidem l. p. 75 sq.

Menelaum, si illos esset adiuturus, Sparta se esse expulsurum minatus sit (v. 623 sqq.). Omni autem careret probabilitate, si Euripides tum aut Menelaum, quem per totam fabulam ignavissimum induxit, filiae vitam regno anteponentem faceret aut Tyndarum et Argivos Menelai causa cedentes. Neque sine divino iussu fieri potuit, ut Menelaus Hermionam ei, qui vim afferre virgini non dubitaverat, nuptum collocaret. Tum nemo nisi deus renuntiare potuit, quae sors Helenae de medio abreptae contigisset. Plane igitur alia ratione Euripidi haec tragoedia fuit disponenda, si eam *ἐξ αὐτοῦ τοῦ μύθου*, ut Aristotelis illud adhibeam, ad exitum cum fabulis vulgo traditis congruentem perducere voluisset.

Qua autem re commotus sit Euripides, ut hoc modo argumentum Orestae tractaret, praecipue Lindskog l. p. 51 l. p. 54 sqq. enucleare conatus est, qui contendit ipsum Euripidem iniustum atque repudiandum putasse et Apollinem matricidium iubere et ab Argivis matricidas capitis non damnari neque supplicio affici. Qua de causa eum in maxima fabulae parte demonstrasse, quae ipse de his rebus sentiret, in fine autem necessitate coactum ad communem opinionem recessisse, id quod nisi divino auxilio fieri non potuisset. Atque confirmatur haec sententia, cui etiam Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1263 et 1270 sq. assentitur, primum tota fabulae indole, cum Euripides in ipsa tragoedia res, quae vulgo credebantur, quasi deleverit, in fine autem comicorum fere more, ut iam veteres viderunt[1], ad vulgares fabulas redierit. Deinde eundem Euripidem iam in aliis tragoediis, quae ipse populus de religione heroumque fabulis credebat, gravissime impugnantem, in fine autem opprobria, quae in ipsa tragoedia protulit, irrita facientem invenimus[2]. Intellegendum igitur est Orestam fabulam ideo ab Euripide mira illa ratione compositam esse, ne aut suam ipsius sententiam plane reprimere aut communi opinione ac religione nimis laesis odium populi excitare cogeretur.

Quam sententiam si assumemus, haud erraturos nos esse

[1] *Τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν* Aristophanes Byzantius in hypothesi.

[2] Cf. etiam ea, quae Dieterich l. l. 1270 sq. exposuit.

censeo, nisi vero quis existimat tali ratione illum usum esse, ut plane nova atque ad illud tempus inaudita spectantibus praeberentur. Sed hoc proponere idem fere est atque contendere hac in fabula disponenda consilium iudiciumque Euripidi defuisse atque recedere ad illas incredibiles sententias, quas C. O. Mueller, Bernhardy, Guenther de Oresta Euripidea conceperunt [1].

Hanc igitur ad fabulam pertinet eorum, quos supra commemoravi, iudicium, qui tragicos, si alia ratione fabulam finire non possent, ad deos confugisse contenderunt. Magni autem momenti est, quod ex fabulis adhuc exstantibus sola Orestes hoc modo est composita [2], quam non prius quam duobus annis, antequam mortuus est, Euripides conscripsit, postquam iam per plus viginti annos deis in finibus uti consuevit [3]. Hac ex re, etsi multae eius tragoediae perierunt [4], tamen magnacum probabilitate conicere possumus Euripidem initio non necessitate coactum ad deos confugisse sed nodo ex ipsa fabulae ratione iam soluto eos aliis de causis extra argumentum addere solitum esse, quibus de causis postea in universum erit iudicandum.

Sed redeamus ad Orestam, qua in fabula ipsa quoque dei oratio secundum certum atque usitatum, quem iam in aliis fabulis invenimus, modum confecta est, cum deus et, quae sint facienda, exponat et futura vaticinatus *αἴτια* afferat. Orestae enim mandat, ut in Arcadum finibus annum moratus Athenas proficiscatur ibique ab Areopago deis auxiliantibus solutus in paternam urbem redeat, Menelao autem, ut filiam, quam Neoptolemus numquam in matrimonium sit ducturus, Orestae nuptum collocet. Electram vero Pyladi esse nupturam. *Αἴτια* autem refert, cum Helenam in deorum numerum receptam

[1] Cf. Lindskogium p. 54 sq.

[2] De Iphigenia Taurica et Hippolyto vide supra p. 80.

[3] Data est Orestes anno 408 (schol. ad Orest. 371), primus, quantum scimus, fabularum adhuc exstantium deus ex machina apparuit in Hippolyto *Στεφανηφόρῳ* fabula anno 428 (cf. supra p. 66) data. Sed iam antea in fine Hippolyti Velati, quae tragoedia ante alteram Hippolytum acta est (Dieterich l. supra p. 81 l. p. 1256), deus est adhibitus (cf. supra p. 68).

[4] Eandem atque Orestes indolem inter fabulas adhuc non servatas, quantum videmus, solus Phrixus videtur habuisse (cf. quae infra dicam hac de tragoedia).

esse et Orestae nomine Arcadum oppidum, in quo ille per annum moraturus sit, appellatum iri renuntiet[1].

Praeterea recte iam Lindskog l. l. p. 59 sq. vidit etiam religioni populi per Apollinem in Orestae fine apparentem satisfieri, cum Apollo iis, quos suo ipsius iussu in tantum periculum deduxit, in summo discrimine auxilium ferens et omnia, quae antea mandavit, divino numine quasi sanciens introducatur. Quo facto ea, quae in ipsa tragoedia Apollini sunt exprobrata (28. 121. 285 sqq. 417. 419. 595), irrita fiunt, atque obiter intuenti iure Orestes videtur dicere (1666 sq.):

Ὦ Λοξία μαντεῖε, σῶν θεσπισμάτων
οὐ ψευδόμαντις ἦσθ' ἄρ' ἀλλ' ἐτήτυμος.

Revera autem hac re di non melius purgantur quam in Hippolyto, Ione, Electra, Helena.

Ab omnibus, quantum videmus, tragoediis Euripideis diversa est Bacchae fabula, quippe quae tota veteris ludi sacri indolem resipiat, in qua ipse Liber ad hominis descendat, ut potentiam suam demonstret et improbos puniat. Aeschyleis fabulis Dionysiacis vel Toxotidibus haec fabula similis videtur fuisse, totumque in ea Euripides miris Dionysi arcanis se dedit eiusque vim divinam praedicavit, quasi senex poeta exemplum voluerit proponere, quo optimum esse demonstraret sine dubitatione et scrupulis deos venerari[2]. Ipse Dionysus, etsi initio humana specie velatus in scenam prodit, in fine tamen divino splendore indutus *ἀπὸ μηχανῆς* apparet, ut exitum eis, quae antea erant acta, dignum reddat. Neque vero quis mirabitur, quod in fine eius tragoediae, qua tota dei cultus celebretur, ipse deus divina cum maiestate introducitur. Atque in hoc ipso exitu Baccharum Liber eodem modo apparet, quo alii Euripideorum deorum in aliarum fabularum extremis partibus. Fabula iam peracta, cum Pentheo necato Agaua ex insania resipuerit et, quae facta sunt, cognoverit, intervenit. Quae tum deus prima protulit, servata non sunt, sed ex servatis est coniciendum Liberum imperasse, ut non modo Agaua cum sororibus (cf. v. 1350 sqq. 1363. 1366. 1381 sqq.) sed etiam

[1] De Helenae cultu cf., quae supra p. 73, de Oresteo oppido, quae supra p. 72 adnotavi.

[2] Cf. etiam A. Dieterich apud Pauly-Wissowam VI 1264 et 1270.

Cadmus et Harmonia in exilium irent. Tum iis, qui exstant, versibus fata Cadmi et Harmoniae futura praenuntiat atque iusta poena eos affectos esse affirmat, a quibus divinis honoribus cultus non esset (v. 1340 sqq.). Quo facto ipsa Agaua noxiam se esse confitetur (1344), sed huius in verbis dubitationem quandam iam non reprimere potuit Euripides, cum v. 1346 sqq. indignum esse deis homines ira adaequare profiteatur. Huic opprobrio Liber nihil potest respondere nisi quod 1349 contendit:

Πάλαι τάδε Ζεὺς οὔμὸς ἐπένευσεν πατήρ.

Αἴτιον autem sacris fabulis traditum praebetur, cum Cadmum et Harmoniam in serpentes commutatum et postea in beatorum regiones translatum iri renuntietur. Verisimile enim est illos in dracones transfiguratos cultibus divinisque honoribus esse celebratos, etsi certa de hac re non traduntur[1]. Quibuscum arte cohaerent, quae de Cadmi erroribus enarrantur.

Praecipue autem hac in fabula introductus videtur esse Liber, ut splendidus fabulaque tali dignus exitus efficeretur.

Haec sunt, quae de usu et indole deorum ex machina Euripidis ex fabulis adhuc exstantibus cognoscere licet; nunc transeamus ad eas, quae iam non servatae sunt, tragoedias. Id autem in limine monendum est certe in pluribus fabulis deos apparuisse, quam ex fragmentis adhuc servatis demonstrari potest. Nam ex fabulis haud paucis ne vestigium quidem exituum traditur, ita ut, quamvis dei in finibus earum apparere potuerint, de iis nihil omnino iam sciamus. Sic ex fragmentis a Nauckio collatis nemo potest cognoscere in Hypsipylae fine deum prodiisse, in reliquiis autem huius fabulae, quae nostra aetate in Aegypto repertae sunt, dei ex machina nomen traditur.

Incipiamus ergo ab iis fabulis, quarum in fine deos apparuisse aut constat aut certe demonstrari potest, ad quas excepta Hippolyto Velato (cf. supra p. 68 adn. 1) pertinent Alcmena, Alopa, Antigona, Bellerophon, Erechtheus, Hypsipyla, Melanippae, Meleager, Ino, Phrixus[2].

[1] Cf. de his rebus O. Crusius apud Roscherum s. v. *Kadmos* II 849 sqq.

[2] Has tragoedias, cum, quibus annis datae sint, plerumque nesciamus, litterarum ordine dispositas perlustremus, praeterquam quod Inonem apte ante Phrixum tractabimus.

Alcmenae argumenti summam recte restitutam esse censeo a R. Engelmann in programmate gymnasii Fridericiani Berolinensis 1882[1], de singulis autem rebus dubitare licet. Ex Hygino enim fab. 29 et Apollodoro II 61, quamquam interdum dissentiunt, haec comperimus: Amphitruo olim Thebis profectus expeditionem contra hostes fecit, cuius, antequam revertisset, formam simulans Iuppiter ad Alcmenam venit et amatoria voluptate fruitur. Postea, cum ipse Amphitruo domum rediret, valde miratus, quod non laetitia post longam absentiam exspectata reciperetur a muliere, ex ea huius rei causam quaesivit. Sed cum illa et ipsa mirata respondisset iam pridem eum rediisse seque complexum esse, cognovit Amphitruo deum concubuisse cum muliere neque diutius eius lecto uti ausus est. Huic narrationi adiunxit Engelmann vasculi imaginem[2], in qua Alcmena in rogo ab Amphitruone eiusque sodalibus incenso sedens depicta est, dum e caelo Iuppiter apparet fulminibusque incendentes deterrere conatur, Hyades autem tempestate orta flammas restinguunt. Hanc imaginem e scena desumptam Iovemque *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* introductum esse e ratione, qua in superiore imaginis parte apparet Iuppiter, Engelmann demonstravit. In hac igitur fabula scenica exitus ab Hygino discrepabat: Amphitruo ut in Plauti illa fabula mulieris verbis diffidebat et eam rogo imposuit, ut stupri supplicio afficeretur[3], Iuppiter autem mulierem servavit. Iam quaeritur, qualis haec fuerit fabula, cuius actus illa vasculi imagine praebetur. Licet in quibusdam rebus cum Plauto consonet, tamen de comoedia cogitari non potest, cum habitus cultusque personarum imaginis tragoediam sapiat. Huc accedit, quod imprimis tragoediarum poetae splendido

[1] *Beiträge zu Euripides I. Alcmene.* Inest haec dissertatio in eo quoque libro Engelmanni, qui inscribitur *Archäologische Studien zu den Tragikern, Berlin* 1900. Cf. etiam J. H. Huddilston *Greek tragedy in the light of vase paintings, London* 1898 p. 179.

[2] Praebetur haec imago etiam in Roscheri lexico I 2755 sq.

[3] Fieri hoc quoque potuit, ut mulier quasi portentum flammis traderetur velut Melanippae filii in Melanippa philosopha, de qua infra agam. Erat autem portentum vel graece *τέρας* mulier, quippe cui aliquid contra naturam accidisset, sicut apud Platonem legimus Cratyl. p. 394 D: *τοῖς παρὰ φύσιν, οἷ ἂν ἓν τέρατος εἴδει γένωνται.*

apparatu scenico, qualem habemus in hac imagine, usi sunt, praecipue autem Euripides[1]. Et huius ipsius tragoedias vasorum pictores repetere adamabant, rarius Sophocleas et Aeschyleas pinxerunt[2]. His de causis apparet praecipue de Euripidis Alcmena cogitandum nobis esse, si quaerimus, cuius poetae tragoediam ille, qui pinxit imaginem, spectaverit[3]. Diiudicatur autem quaestio loco quodam Rudentis Plautinae, quem iam Engelmann attulit quoque v. 83 sqq. haec exstant:

> Pro di immortales! tempestatem cuiusmodi
> Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!
> Detexit ventus villam — quid verbis opust —
> Non ventus fuit verum Alcumena Euripidi.
> Ita omnis de tecto deturbavit tegulas.

Quibus ex verbis apparet maximam tempestatem in hac fabula Euripidea ortam esse[4], id ipsum, quod in vasis imagine habemus, in qua Iuppiter cum tempestate ac tonitru intervenit. Nonne videmus Euripidem, amatorem grandioris apparatus scenici?

Itaque perspicuum est optimo iure Engelmannum vasculo illo finem Alcmenae Euripideae praeberi voluisse. Fragmenta autem, quae supersunt, fabulae, quam Hyginus et Apollodorus praebent, non contradicunt, quare initio quidem fabulae suae Euripidem huic argumento se addixisse sumere licet. Tum alteram partem, cuius certa fragmenta non exstant, ab Euripide ea ratione, quam e vasculo cognovimus, tractatam esse existimare debemus. Coniciat autem aliquis Iovem sicut apud

---

[1] Hoc iam veteres viderunt, velut in vita Euripidis Westerm. Biogr. p. 121 legimus: *Τὴν δὲ σκηνὴν ἐκόσμησε καὶ ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε τῇ λαμπρότητι, γραφαῖς καὶ μηχαναῖς.*

[2] Huddilston l. supra p. 85 l. p. 78.

[3] Putaverunt autem nonnulli Alcmenam tragoediam eandem fabulam esse atque Rhadamanthyn, quam idem Euripides composuisse traditur (TGF p. 566 sq.). Quod si verum esset, imaginem illam ad Alcmenam Euripidis referre non liceret. Omni autem fundamento carere illorum coniecturam Engelmann demonstravit.

[4] Aliter Plautum explicari non posse recte monuit de Wilamowitz *Eur. Her.* I² 54 adn. 92, qui refutavit eodem loco eorum sententiam, qui Plautino illo loco significari contenderunt *personam aut fabulam turbulentam dissolutamque esse.*

Plautum initio humana specie indutum et agentem in scena apparuisse, deinde in fine ex machina intervenisse, quam consuetudinem ab Euripidis ratione non abhorrere demonstrat Dionysus in Bacchis. Sed summum deum stupra facturum in conspectum dare comoediae non sacro tragoediae ludo licebat, atque etiam ceteris fabulis Euripideis, quae ad stupra deorum cum mulieribus mortalibus facta pertinent quarumque argumenta novimus, non ipsa stupra sed res post ea actae continentur: Ione, Antiopa, Alopa, Melanippa Philosopha. Eundem modum Euripides in Auga adhibuit, cum Herculis Augaeque stuprum tractaret (TGF p. 436 sq.). Coniciendum igitur est Alcmenam fabulam Alcmena a Iove iam decepta a reditu Amphitruonis coepisse[1] Alcmenamque adulterii accusatam et ob eam rem damnatam aut ut portentum rogo impositam a Iove servatam esse. Is quae dixerit, non constat, tamen e ratione, quam ex fabulis exstantibus iam cognovimus, pro certo haberi potest eum non modo Amphitruonis iram sedasse sed etiam, qualem et quam illustrem filium Alcmena e nuptiis Iovis esset paritura renuntiasse, qui tot et tanta esset perfecturus, ut postea in deorum numerum reciperetur. Quodsi talia explicabat, *αἴτιον* cultus Herculis ad tragoediae finem adnectebatur. Talis deus ex machina etiam in Plauti Amphitruone apparet, et Engelmanni sententia, qui ipsam Euripidis fabulam ab eo, quem secutus est Plautus, irrisam esse contendit, novis argumentis confirmavit de Wilamowitz *Eur. Her.* II^2 227.

Si hoc modo Engelmannum secuti recte Alcmenae argumentum restituimus, in eius exitu eam ob rem adhibetur deus, ut Herculis cultus *αἴτιον* cum fabulae fine coniungatur et splendido apparatu scenico exitus exornetur. Atque ipse Iuppiter aptissimus est, qui filii gloriam praenuntiet. Iovis autem introductio fortasse praeparatur fr. 100 N.

De Alopa Euripidea praebet Harpocratio p. 24 (Dindorf), TGF p. 390: *Ἀλόπη . . . . Κερκύονος θυγάτηρ, ἐξ ἧς καὶ Πο-*

[1] Ipsi igitur Iovis et Alcmenae amores tum prologo erant tribuendi, cuius munere Mercurium functum esse facilis est coniectura. Nemo enim mortalium hac in fabula ea, quae ante ipsum argumentum gesta erant, tam accurate referre potuit, quam Euripides ea explicare solet.

σειδῶνος Ἱππoθῶν, ὁ τῆς Ἱππoθωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος, ὡς Ἑλλάνικός τε ἐν β' Ἀτθίδος καὶ Εὐριπίδης ἐν τῷ δμω⟨νύμῳ δράματι⟩ [1]. Quo ex loco videmus in Alopa Euripidea commemoratum fuisse Hippothontem ex Neptuno et Alopa esse procreatum, quorum amores tradit Hyginus fab. 187. Alopa, Cercyonis filia, e Neptuno gravida, filium, quem peperit, exponit, infantem ab equa nutritum pastores inveniunt, qui, cum de pueri veste regali litigent, ad regem eunt, ut iudicium de hac re ferat. Agnita veste Cercyo intellegit filiam stupratam peperisse. Alopa iussu patris ad mortem includitur, denuo exponitur infans, sed iterum eadem mira ratione qua antea servatus a pastoribus alitur nomenque ei inditur Hippothoo. Theseus autem Cercyonis regnum, quod illo necato ipse occupavit, Hippothoo reddit, Alopae corpus a Neptuno in fontem, cui nomen est Alope, commutatur.

Has res, cum alia de fatis Alopae omnino non tradantur, ab Euripide in Alopa tractatas esse magna cum probabilitate conici potest, praesertim cum simillima sit Hygini fabula Melanippae Philosophae argumenti, de quo postea erit agendum. Neque tamen ea, quae de Theseo regnoque Cercyonis ad Hippothoum delato Hyginus praebet, in ipso argumento tractari potuerunt. Verisimillimum igitur est per deum haec in fine esse renuntiata, quem apparuisse vel inde coniciendum est, quod Euripideum non erat post Alopae crudele supplicium finem fabulae dare. Sic etiam in Andromacha, Hippolyto, Electra non Neoptolemi, Hippolyti, Clytaemestrae mortibus argumentum finitur. Praeterea complura *αἴτια* cum argumento Alopae poterant coniungi, quae Euripides vix praetermisit. Haec autem per deum exitibus inserere solebat. Alopae fontem, quem prope Eleusinem fluxisse Hesychius s. v. testatur, ex Alopa nominatum esse ab Hygino traditur, cuius *αἴτιον* eodem more exitui additum videtur fuisse atque Dircae *αἴτιον* in Antiopa. Tum Hippothontis nomine tribum Atticam esse appellatam Harpocratio docet, a quo Euripidem non modo fabulae sed etiam tribus nominis auctorem afferri ex ipsius verbis allatis apparet, quod *αἴτιον* iterum deo indigebat.

[1] Suppl. Im. Bekker.

Quis deus haec rettulerit, certe non constat, sed aut Neptunus tamquam pater apparuit aut simili causa atque in Ionis versibus 1557 sq. allata (cf. supra p. 71) Minerva, quae apud Euripidem res Athenienses instituere solet (cf. Ionem, Supplices, Iphigeniam Tauricam). Si vero Minerva apparebat, ea Neptuni sicut in Ione Apollinis iussu, quae proferat, se renuntiare certe addidit, quod si sumimus, hac quoque ratione explicari potest, quod Hyginus *a Neptuno* Alopam fontem factam esse refert.

In Antigona iterum a toto fabulae argumento progrediendum est, si de exitu certiora enucleare volumus. Hoc autem viri docti diversis rationibus statuerunt atque nunc quoque dissentiunt. Praebet enim Aristophanes Byzantius in Sophocleae Antigonae hypothesi (Dindorf-Mekler, Bibl. Teubn. 1896): *Κεῖται ἡ μυθοποιία καὶ παρὰ Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ, πλὴν ἐκεῖ φωραθεῖσα μετὰ τοῦ Αἵμονος δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τέκνον τίκτει τὸν Μαίονα* (*αἵμονα* vel *μαίμονα* codd., correxit Nauck). Eadem, nisi quod Maeon non commemoratur, praebet Antigonae scholion ad v. 1351 (Papageorgius Bibl. Teubn. 1888): *Ὅτι διαφέρει τῆς Εὐριπίδου Ἀντιγόνης αὕτη, ὅτι φωραθεῖσα ἐκείνη διὰ τὸν Αἵμονος ἔρωτα ἐξεδόθη πρὸς γάμον, ἐνταῦθα δὲ τοὐναντίον.* Scholia autem haec vetera, quae edidit Papageorgius, ipsa quoque ex Alexandrinorum commentationibus desumpta sunt[1].

Duas igitur Alexandrinorum explicationes habemus, et has secutus post alios Wecklein[2] argumentum fabulae restituere conatus est. Alii autem, praecipue Welcker *Griech. Trag.* II 563 sqq. et Max. Mayer[3] argumentum Antigonae Euripideae Hygini fab. 72 praeberi contenderunt, qua haec fabulae forma traditur: Antigona et Argia, Polynicis uxor, cum corpus Polynicis, quod sepeliri Creon vetuerat, condidissent, a custodibus deprehensae sunt; Argia profugit, Antigona Haemoni sponso necanda est tradita, sed ab eo servata Maeonem filium ei peperit. Quem, cum adultus ad ludos Thebas venisset, Creon

[1] G. Wolff, De Sophoclis scholiis Laurentianis, Lipsiae 1843.

[2] *Sitzungsberichte der Münchener Akademie, phil.-histor. Klasse* 1878 vol. II 186—198.

[3] De Euripidis mythopoeia, diss. Berolini 1883 p. 73—77.

agnovit, et Haemon, postquam Hercules frustra pro eo deprecatus est, se et Antigonam interfecit. Creon autem Megaram filiam Herculi dedit uxorem.

Quodsi hoc fabulae Euripideae argumentum fuisset, res in ea tractatae essent, quae multis annis post ea acciderunt, de quibus Sophocles in Antigona egit. Etiam quae de clandestinis Haemonis et Antigonae nuptiis praebet mythographus, plane a Sophoclea fabula diversa sunt. Aristophanes autem expressis verbis contendit duabus in rebus Euripidem a Sophocle decessisse, cum Antigonam una cum Haemone in sepeliendo Polynice comprehensam [1] et tum ei nuptum collocatam fecisset. Id ipsum autem alienum est ab Hygino, apud quem Antigona et Haemon non minus se interficiunt quam apud Sophoclem. Etiam quod de Argia praebet Hyginus, plane dissentit ab Aristophane, qui una cum Haemone fratris corpus sepelivisse Antigonam tradit.

Mayer autem contendit non totius fabulae argumentum spectasse Aristophanem sed *res fabulam antecedentes, illic narratas tantummodo* [2]. Itaque verba Aristophanis ad solum prologum pertinerent. Sed falsam hanc Aristophanis interpretationem esse e locis quibusdam apparet, quos James Paton [3] attulit quibusque clare demonstratur verba *κεῖται ἡ μυθοποιία* semper ad totam fabulam non ad exiguam eius partem velut prologum pertinere, et grammaticos, ubi partem tantum fabulae in animo habent, ipsis verbis clare hoc indicare. Sic in Promethei Aeschylei hypothesi legimus: *Κεῖται δὲ ἡ μυθοποιία ἐν παρεκβάσει παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Κολχίσι.* Propterea Mayeri interpretatio prorsus est reicienda. Sed, ut recta sit, quomodo tum aliquis verba *δίδοται πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ τέκνον τίκτει τὸν Μαίονα* cum Hygini fabula reddat congruentia? Quibus verbis allusisse Aristophanem ad illas clandestinas

[1] Loco Aristophanis verba *μετὰ τοῦ Αἵμονος* coniungenda sunt cum voce *φωραθεῖσα*, quod iuncturae *διδόναι τινὰ πρὸς γάμου κοινωνίαν μετά τινος* nullum exstat testimonium.

[2] Hanc Mayeri sententiam paucis abhinc annis denuo defendit J. H. Huddilston in ephemeride, quae vocatur *American Journal of Archaeology* 1899 p. 185 sqq., sed nova argumenta non addidit.

[3] *Harvard Studies* XII (1901) 269.

Antigonae Haemonisque nuptias rurales, quas novit Hyginus. ne Mayerum quidem cogitasse puto. Constat enim recteque id Paton explicavit *διδόναι πρὸς γάμου κοινωνίαν* de solis parentibus vel patrono sponsae usurpari posse, qui legitimis rationibus servatis filiam nuptum collocant. Sane existimavit Mayer in fine fabulae Herculem tamquam deum ex machina apparuisse, qui regi imperaret, ne longius in ira perseveraret sed amantes nuptiis coniungeret. Hoc autem ne Hyginus quidem praebet, qui non deum sed hominem Herculem intervenisse vult, cui Creontis filia in matrimonium datur. Sed etiam hoc obstat Mayeri sententiae, quod Creon Hercule imperante multo post Maeonis ortum Antigonam nuptum daret, Aristophanem vero de iis nuptiis, quae ante Maeonis partum factae sunt, cogitasse clare ipso verborum ordine ostenditur. Ac denique, quis credat Aristophanem duas fabulas collaturum ita rem egisse, ut de prologo et de fine uno verbo moneret, de ipsa fabula, licet ea plane a Sophoclea abhorreret, omnino nullum proponeret?

Hygini igitur argumentum, quod omnino non integrum ut traditur, sed fine plane commutato ab iis, qui ex eo Euripidis fabulam restituere conantur, adhiberi potest, cum certis Aristophanis scholiique testimoniis nullo modo congruens reddi potest neque ullo Antigonae fragmento postulatur. Nam fr. 168 N:

Ὀνόματι μεμπτὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴσῃ

ad Maeonem referendum esse Mayer plane ex arbitrio contendit, cum tam communis sit sententia, ut omnino dici non possit, quisnam spectetur. Simili modo fr. 166 N:

Τὸ μῶρον αὐτῷ τοῦ πατρὸς νόσημ' ἔνι·
φιλεῖ γὰρ οὕτως ἐκ κακῶν εἶναι κακούς

Mayer a Creonte de Maeone dictum esse affirmat, ut Maeonem ipsum, sicut in Hygino legimus, in scenam productum esse demonstret. Sed etiam Creontis aliquis inimicus haec de Haemone proferre potuit. Itaque ne ex hoc quidem loco Hygini argumentum recipi opus esse potest demonstrari.

Ergo prorsus reicienda est eorum sententia, qui Hygini fabulam, quam ex Euripide desumptam esse sibi persuaserant,

secuti Euripideam Antigonam restituere voluerunt. Immo secundum Aristophanem cum Weckleinio hac ratione summam tragoediae restituamus, nam singula certe non possunt restitui. Aeque ut apud Sophoclem Polynicis corpus sepelire vetat Creon. Antigona autem ab Haemone adiuta fratrem sepelit, una cum sponso capta ad regem ducitur. Creon, quem ferocem et immitem etiam Euripides certe finxit, utrum solam Antigonam an utrumque amantium supplicio affici iusserit, incertum est. Tum Haemonem et Antigonam et precando et disputando animum eius flectere conatos esse conici potest. Recte autem censuit J. A. Hartung[1] ex hac parte desumptum esse fr. 176 N:

Θάνατος γὰρ ἀνθρώποισι νεικέων τέλος
ἔχει. μαθεῖν δὲ πᾶσίν ἐστιν εὐμαρές.
τίς γὰρ πετραῖον σκόπελον οὐτάζων δορὶ
ὀδύναισι δώσει; τίς δ' ἀτιμάζων νέκυς,
εἰ μηδὲν αἰσθάνοιντο τῶν παθημάτων;

Haec verba Wecklein iniuria deo, qui in fine introductus sit, tribuit, cum a ratione in deorum orationibus adhibita plane abhorreant. Dei enim, ubi, quae facienda sint, edicunt, rationibus philosophicis firmare non student, quae vera esse praedicant.

Neque tamen Creontem commotum sed deum introductum esse, qui illi, ut Antigonam filio nuptum collocaret corpusque Polynicis debitis honoribus non privaret, ediceret ex fabulis adhuc perlustratis verisimile fit et Aristophanis verbis demonstratur. Legimus enim apud Euripidem ab Antigona Maeonem esse partum, quod non aliter Euripideo argumento potuit inseri, nisi deus in fine praenuntiavit filium ex Antigonae Haemonisque conubio esse orturum, qui Maeon sit appellandus. Fortasse idem dixit ex hoc conubio Thebanorum regum stirpem iri procreatum, quod vaticinium si exstabat, *αἴτιον* regum Thebanorum in Antigona explicatum est sicut in Andromacha regum Molossorum origo. Sed certius hac de re iudicare non licet, cum regum Thebanorum genus a Maeone deductum esse antiquitatis testimonio non confirmetur. Num aliud praeterea *αἴτιον* allatum sit, nescimus. Quod vero Welcker

[1] Euripides Restitutus, Hamburgi I 1843 p. 424.

Griech. Trag. II 566 contenderat Maeonis ortum a deo praenuntiari ridiculum fuisse, cum per se manifestum esset e nuptiis liberos procreari, hoc recte Wecklein l. l. p. 192 refutavit. Neque enim solum liberos deus vaticinatus est sed filium; quin etiam Maeonem nomen puero indi iussit, id quod per se manifestum non erat.

Liberum autem in Antigona ἀπὸ μηχανῆς apparuisse scholio Pind. Pyth. 3, 177 (Boekh), fr. 177 N Welcker et alii viri docti voluerunt demonstrari, quo legimus:

> Ὦ παῖ Διώνης, ὡς ἔφυς μέγας θεός,
> Διόνυσε, θνητοῖς τ' οὐδαμῶς ὑπόστατος[1].

Quibus verbis deum ex machina spectari illi censuerunt. Hoc autem putare opus non est, ut clare apparet ex versu Antiopae fr. C 61, quo Lycus, etsi Mercurius deus apparuit, dicit:

> Ὦ πολλ' ἄελπτα Ζεὺς τιθεὶς καθ' ἡμέραν.

Neque etiam in fragmento Eur. 781 N v. 11:

> Ὦ καλλιφεγγὲς Ἥλι', ὡς μ' ἀπώλεσας
> καὶ τόνδε

Sole praesente proferuntur. Eiusmodi exclamationes praeterea fr. 700 et 875 Euripidis sunt, quas deo praesente prolatas esse opus non est. Liberum igitur in Antigona apparuisse ostendi non potest. Quodsi vero Mayer verba ὦ παῖ Διώνης κτλ. Antiopae non Antigonae tribuere vult contra certum scholiastae Pindari testimonium, iustam causam non habet. Neque minus a vero aberrasse Mayerum, cum Herculem ex Hygino assumptum ἀπὸ μηχανῆς in Antigona introduceret, iam supra p. 91 vidimus. Quis deus igitur ab Euripide hic adhibitus sit, plane nescimus.

Parum autem apte Welcker contendit argumentum, quale Aristophanem secuti restituimus, comoediae magis quam tragoediae esse atque indignum musa Euripidea. Nam et nostris temporibus nemo iam scire potest, quam acutis atque illustribus Haemonis Antigonaeque et Creontis dialogis ornaverit tragoediam Euripides et talem fabulam illo indiguiorem aliquis ducat quam verbi causa Orestam et Alcestidem? Quin immo

[1] ὑπόστατος Scaliger, ὑποστάτης codd.

eo, quod Haemon solo sponsae amore commotus una cum ea Polynicis corpus, quod cur sepeliret, ipse non habebat, condidit, clarissime *τὴν τοῦ ἔρωτος δύναμιν* ab Euripide celebratam esse putandum est, id quod ipsum Euripidem adamasse satis certe constat. Neque Huddilston, qui l. p. 90 l. denuo Welckeri sententiam defendit, grave aliquod argumentum attulit, de quo disputare necesse sit [1].

Etiam in Bellerophonte deum apparuisse constat. De argumento fabulae egerunt Welcker *Griech. Trag.* II 785 sqq., Hartung Eur. Rest. I 388 sqq., Wecklein *Sitzungsberichte der Münchener Akademie, phil.-hist. Klasse* 1888 I 99—109. Qui certe statuerunt Euripidem scripsisse, quomodo Bellerophon variis malis iniuriisque, quibus homines affliguntur, exulceratus in Pegaso ad caelum ascendere voluerit, ut, num omnino dei essent et omnia regerent, scrutaretur. Iovis autem fulminibus deiectum miserum sordidisque vestibus indutum in scenam eum esse portatum, ubi omnibus dubitationibus depositis aequo animo et priore erga deos pietate moreretur. Ad nodum igitur solvendum deo introducto opus non erat, quem tamen apparuisse scholia Aristophanis demonstrant. Aristophanes enim Pacis v. 722 Mercurium de cantharo Trygaei haec praedicantem fecit:

Ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ

i. e. currui Iovis subiunctus fulmina fert. Quem versum, cum ex Euripidis Bellerophonte desumptum eum esse scholia adnotent, Euripidem de Pegaso, postquam deiecit Bellerophontem, dixisse apparet [2]. Neque tamen quisquam praeter deum haec renuntiare potuit, cum nemo mortalium, quae in caelo acta essent, scire posset, de oraculo autem cogitare praesenti forma *ἀστραπηφορεῖ* vetemur. Quis deus apparuerit, nescimus, sed aut de Mercurio, Iovis nuntio, aut de Minerva, olim Bellero-

[1] Etiam Hygini fabula tragoediam aliquam videtur spectare, quae cuius poetae sit, non constat. Egerunt de hac re Heydemann *Über eine nacheuripideische Tragoedie, Berlin* 1868, Wecklein et Paton l. l.; cf. etiam Huddilston l. p. 85 l. p. 180.

[2] Hesiodus quoque Theog. 286 de eodem Pegaso dixit:

Βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

phontis fautrice et adiutrice[1] cogitare licet. Nuntiavit igitur deus, quae sors Pegaso obtigisset, fortasse etiam ipsius Bellerophontis casum explicavit. Fr. autem 309, quo de Pegaso legimus:

Ἔπτησσ' ὑπείκων μᾶλλον, εἰ μᾶλλον θέλοι,

deo attribuere non oportet, quippe quae verba a nuntio quoque aliquo, qui Bellerophontis ascensum viderat, dici potuerint.

Tum in hac ipsa fabula multa Bellerophontem dis exprobrasse valdeque eos vituperasse constat. Ea enim ipsa de causa, quod tot iniuriis, quas viderat, persuasum habuit fieri non posse, ut iusti dei essent mundumque regerent, ad caelum ascendere voluerat. Huc pertinent fr. 286. 289. 292, quorum fragmentis 286 et 289 ipsa Bellerophontis, fragmento 292 alterius illi respondentis (*ἀλλά σοι λέξαι θέλω κτλ.*) verba videntur praeberi. Notissimus Senecae quoque locus est epist. 115 § 14, quo spectatores improbis verbis, quae in Bellerophonte inerant, ita irritatos esse legimus, ut et actorem et fabulam eiecturi fuerint, nisi Euripides ipse in medium prosiliens eos orasset, ut, quae sors Bellerophonti futura esset, exspectarent. Quo loco etiam versus afferuntur:

Ὦ χρυσέ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς κτλ.

(fr. 324 N).

Hos unus Stobaei codex Danaae tribuit, a Seneca autem dantur Bellerophonti, in quibus gravissimum illud Veneris crimen inest, cum de auro dicatur:

Εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.

Quae verba, utrum Bellerophonti an Danaae sint tribuenda, dubitaverunt viri docti, cum utrique fabulae apta ea esse nemo non concedat, qui Welckeri paginas II 640 sqq. et II 789 sqq. attente legerit. Falso igitur Nauck contendit vel e sensu versuum satis apparere eos in Bellerophonte adhiberi non potuisse. Immo Senecae testimonium dignius mihi videtur, cui fides habeatur, quam unius codicis Stobaei lectio, quae fortasse ea ipsa de causa irrepsit, quod librario idem atque

[2] A Minerva Bellerophon Pegasum accepisse tradebatur (Paus. II 4, 1. Pind. ol. 13, 60 sqq.) et ea praesente in vasculi imagine apud Roscherum s. v. Bellerophon I 763 Chimaeram aggreditur.

Nauck censenti Danaae aptiores videbantur versus. Sed quocunque modo hoc se habet, multa certe mala dis totique mundi ordini a Bellerophonte esse exprobrata constat. Euripidem autem, cum talia protulerat, in exitu per deum ea, quae antea dis opprobrio dedit, irrita facere deosque purgare consuevisse satis iam vidimus. Haec ratio, nisi iam veteribus notabilis esset visa, tales fabellae, qualem habemus apud Senecam, sive verae sunt sive falsae, non essent traditae[1].

Itaque etiam in Bellerophontis exitu deos a deo quodam esse purgatos certe conici potest. Verisimile hoc quoque fit Glauci, Bellerophontis nepotis, gloriam et virtutem ab illo deo praenuntiatas esse, quoniam deorum in finibus apparentium est a malis instantibus in futura bona animos convertere. Summa autem cum veri specie suspicari possumus etiam *αἴτιον* quoddam esse allatum. Namque iam apud Homerum Il. VI 201 legimus Bellerophontem, cum de Pegaso decidisset, solum miserumque errasse per *Ἀλήιον πεδίον*, cuius nomen a voce *ἀλάομαι* derivari voluisse iam Homerum constat, quippe qui sic scripserit: *Κὰπ' πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο.* In scholio autem *A* Il. VI 155 (Dindorf), cum fabula et *αἴτιον* nominis campi Alei relata sint, Asclepiades auctor additur, qui de tragicorum argumentis in libro, qui inscribitur *Τραγῳδούμενα*, egit[2]. Quod hic quoque *αἴτιον* illud rettulit, eo verisimilius fit etiam hoc ex aliqua tragoedia desumptum esse, quam Euripidis Bellerophontem fuisse magna cum probabilitate suspicabimur. Deus igitur praedicasse videtur, ne posteris Bellerophontis erroris memoria excideret, in aeternum tempus campum, in quo delapsus errasset, *ἀλήιον* appellatum iri. Fortasse etiam cultum Corinthios Bellerophonti esse instituturos praenuntiatum est (cf. Paus. II 2, 24).

Erechthei argumentum nobis ex Lycurgo contra Leocr. § 98, TGF p. 464 notum est, unde videmus Euripidem in hac fabula mortem illius celeberrimi indigetis Attici tractasse,

[1] Cf. etiam Plut. de aud. poet. IV p. 19 E: *Ὥσπερ ὁ Εὐριπίδης εἰπεῖν λέγεται πρὸς τοὺς τὸν Ἰξίονα λοιδοροῦντας ὡς ἀσεβῆ καὶ μιαρόν· οὐ μέντοι πρότερον αὐτὸν ἐκ τῆς σκηνῆς ἐξήγαγον ἢ τῷ τροχῷ προσηλῶσαι.* De his fabellis de Euripide traditis egit etiam Lindskog l. p. 51 l. p. 67.

[2] G. Wentzel apud Pauly-Wissowam II 1628.

qui divinis honoribus Athenis celebrabatur et ad quem ipsius Athenarum nominis origo deferebatur (Her. VIII 44). Erechtheum igitur, cum Thraces duce Eumolpo, Neptuni filio, Atticam hostili agmine ingressi essent, ex Apollinis oraculo suam ipsius filiam immolantem fecerat Euripides, ut patriam servaret victoriamque pararet Atheniensibus. Proelio orto Athenienses vicisse Lycurgus tradit, verisimile autem est etiam apud Euripidem ab ipso Erechtheo Eumolpum esse necatum, quam rem Apollodorus III 204 praebet. Tum in fine fabulae Euripideae Erechtheum gravi vulnere accepto in scenam esse portatum filioque, antequam mortuus esset, ultima mandasse Welcker *Griech. Trag.* II 723 sq. fragmento 362 nisus coniecit. Sed multo melius illius fragmenti verba Erechtheo in proelium proficiscenti tribuuntur[1]. Neque etiam fr. 361 morienti Erechtheo imputare opus est. Nihil igitur prohibet suspicari Euripidem aeque ut in Ione v. 281 ita in Erechtheo a Neptuno filii morte exulcerato Erechtheum terra conditum finxisse. Quod autem Hyginus fab. 46 et Apollodorus III 203 praebent una filiarum immolata duas reliquas se interfecisse, cum, ut una mortua reliquae ipsae mortem sibi consciscerent, iureiurando pepigissent, idem in Euripidis Erechtheo factum esse Arati scholio ad v. 172, fr. 357 N demonstratur, quo exstat: *Εὐριπίδης μὲν οὖν ἐν Ἐρεχθεῖ τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας ὑάδας φησὶ γενέσθαι τρεῖς οὔσας.* Quam rem, postquam filiae se interemerunt, per deum in fine esse renuntiatam per se apparet, idemque deus certe etiam divinis honoribus cultuque Erechtheum pro patria mortuum una cum filiis exornatum iri dixit. Cicero enim de nat. deor. III 49 sq. temporibus suis Erechthei delubrum et sacerdotem Athenis esse commemorat atque Erechtheum filiasque eius Athenis in deorum numero haberi.

---

[1] Praecipue conferendi sunt quattuor primi huius fragmenti versus:

Ὀρθῶς μ' ἐπήρου· βούλομαι δὲ σοί, τέκνον,
φρονεῖς γὰρ ἤδη κἀποσῴσαι' ἂν πατρὸς
γνώμας φράσαντος, ἢν θάνω, παραινέσαι
κειμήλι' ἐσθλὰ καὶ νέοισι χρήσιμα.

His in verbis *ἢν θάνω* i. e. 'si forte moriar', vix aptum est ei, cui certa iam mors impendet.

Magna autem cum veri specie Hiller von Gaertringen [1] coniecit apud Euripidem artissime bellum Eumolpi cohaesisse cum Minervae et Neptuni controversia illa notissima, utriusque Atticam terram sibi vindicantis, sicut ab Hygino fab. 46 Eumolpus ideo Atticis bellum intulisse traditur, quod paternum i. e. Neptuni regnum recuperare voluit. Quo in bello, quoniam Minervae fata Atticam tribuerint, necari Eumolpum, Neptunum Erechthei morte ulcisci filii interitum. Tum, ut vetus deorum controversia componeretur, deum in fine praecepisse putabat Hiller, ut et Minerva et Neptunus cultu celebrarentur et cum iis Erechtheus *ὡς πάρεδρος τοῖς ἐν ἀκροπόλει θεοῖς* [2]. Verisimile id quoque est deum etiam tribum Atticam ex eo *Ἐρεχθηίδα* appellatum iri renuntiasse. Tum *καταστερισμός* ille videtur esse additus, quem testatur Arati scholiasta. Ad hunc fortasse spectat Eur. fr. 357 *ζεῦγος τριπάρθενον*.

Certe autem Minerva in hac tragoedia apparuit, per quam Atticas res instituit Euripides (cf. supra p. 89). Hanc in sententiam etiam de Wilamowitz iit l. l. p. 141 sq. adn. [3]. Hac quoque in tragoedia deus apparet fabula iam peracta, cum Erechtheus aut terra conditus aut moriens in scenam productus sit, neque alia de causa adhibetur, nisi ut cum sacris fabulis tragoediam coniungat.

Ipsorum versuum, quos protulit Minerva, in fragmentis nullus exstat [4]. Restat fr. 351 N:

Ὀλολύζει' ὦ γυναῖκες, ὡς ἔλθῃ θεὰ
χρυσῆν ἔχουσα γοργόν' ἐπίκουρος πόλει.

Hoc tamen deum ex machina apparentem non videtur spectare, immo a choro Minervam ante proelium imploranti dictum esse.

Hypsipylae argumentum quale fuerit, nunc satis constat, cum praeter ea, quae de Hypsipyla eiusque sortibus

[1] *Wochenschrift für klass. Philol.* IV (1887) 571 sqq.

[2] Aristides Panath. 119 (Dindorf); de Wilamowitz *Aus Kydathen*, *Philol. Unters.* I 228 sq.

[3] Idem l. l. Euripidis fr. 930 ad Erechtheum pertinere ratus illum in draconem esse conversum censet, sed num recte hoc coniecerit, dubium mihi videtur, cum etiam ex Cadmo hoc fragmentum desumptum esse possit. Cf. Lud. Valckenaer, Diatribe in Euripidem, Lugduni Batav. 1767 p. 12.

[4] Si fragmentum 357, quod in Minervae oratione infuisse non constat excipitur.

Apollodorus III 64 sqq., Hyginus fab. 74, Clementis Alexandrini scholiasta p. 306 (Staehlin) tradunt quaeque ex fragmentis a Nauckio collatis TGF p. 594 sqq. concludi possunt, ex ipsa Euripidis fabula in papyro, quae nostris temporibus in Aegypto ad lucem prodiit, reliquiae haud exiles inventae sint [1]. Hypsipyla igitur, Thoantis, Lemni regis, filia a mulieribus Lemniis, quae viros suos necaverunt, sub corona veniit, quod patrem servavit. Itaque Nemeae, in domo regis Lycurgi, servilibus officiis fungitur, qui Opheltam filiolum ei curandum tradiderat. Hunc infantem, dum ipsa Hypsipyla Amphiarao, uno ex septem ducibus, qui contra Thebas proficiscuntur, fontem monstrat, serpens interimit. Quo nuntiato Hypsipyla ab Eurydica, regis uxore, capitis damnatur, servatur ab Amphiarao. Idem, ut est vaticinandi peritus, Argivorum interitum praenuntiat (Ox. pap. p. 65 v. 77 sqq.), qua in re nominis Archemori *αἴτιον* addit, et in honorem interfecti pueruli ludos Nemeos [2] instituit (l. l. v. 101 sqq.), sicut in Inone Isthmia in Melicertae honorem videntur esse condita (cf. infra p. 111). Praeterea Amphiaraus Euneum et Thoantem, quos filios Hypsipyla ex Iasone conceperat [3], quique iam ante ipsum Amphiarai adventum ad Lycurgi domum venerunt (Ox. pap. p. 33) neque tamen a matre sunt recogniti, Hypsipylae filios esse edocet (Ox. pap. p. 67. 69. cf. praecipue p. 69 v. 1584).

Huius igitur vatis personae Euripides hac in fabula officia quaedam tribuit, quae in aliis tragoediis per deum ex machina perficiuntur: Amphiaraus enim eis, quae profert, res intricatas disponit, cum Hypsipylam servet filiosque matri reddat, idemque ludos instituit ac futuras Argivorum sortes vaticinatus *αἴτιον* Archemori nominis addit.

Quibus factis fabulam plane ad exitum perductam esse

[1] Hae publici iuris factae sunt in collectione, cui est titulus Oxyrhynchus Papyri VI (1908) 19 sqq. Egit de hac fabula Frid. Pfister *Ein neuentdecktes Drama des Euripides, Südwestdeutsche Schulblätter* XXVI (1909) 83 sqq. et in commentatione, quae inscribitur *Der Reliquienkult im Altertum, Religionsgesch. Vers. u. Vorarb.* V p. 161 sqq.

[2] Nemeos ludos in Archemori honorem esse conditos praeter Euripidem Apollodorus III 66, Hyginus fab. 74. 273, alii testantur, alludit hanc ad rem etiam Pindarus Nem. X 28, fuse ludos descripsit Statius Theb. VI 249 sqq.

[3] Cf. Steudingium in Roscheri lex. s. v. *Euneos* I 1404.

conicias, sed etiam deus aliquis prodiit: Dionysus (Ox. pap. p. 73 fr. 64), cuius verba in papyro iam non exstant, quem tamen Euneo imperasse, ut Athenas iret ibique Euneidarum gentis auctor esset cultumque Dionysi conderet Wilamowitz (Ox. pap. p. 28) et Pfister (l. l. p. 85) magna cum veri specie coniecerunt.

Sed etiam necessitate quadam intercedente Liberi interventum in Hypsipyla esse postulatum C. Robert demonstrare conatus est[1]. Ex papyri enim reliquiis apparet inter finem ultimi, qui exstat, κομμοῦ (1591—1632) et eum versum, cui vocabulum Διόνυσος personae significandae causa praefixum est (1673), quadraginta versus intercidisse, atque recte Robert cognovit quae hac in lacuna interierunt, ea iam non praecedentis illius κομμοῦ partem fuisse. Itaque his in versibus Lycurgum, qui in ceteris fabulae partibus aberat, advenisse, quod Eurydica uxor Hypsipylae Amphiarao auctore veniam atque libertatem donasset, irritum fecisse, Hypsipylam ad supplicium expostulasse statuit. Res autem adeo in discrimen deductas Liberi intercessione compositas esse, qui v. 1673 primum apparuisset. Sed etiam alio modo, id quod Robert non vidit, exitum disponere licet. Potuit enim Liber statim post finem illius κομμοῦ intervenire, ita ut lacuna, de qua agitur, principalis oratio dei illius atque aliquot versus eorum, ad quos dei verba pertinebant, absumpta essent. Hoc si factum est, versibus 1673 sqq. Dionysus, antequam discessit, epilogum complures versus continentem addidit. Eadem exitus componendi ratio adhuc exstat in Electra et Oresta Euripidis, cum in duabus fabulis principales deorum orationes (El. 1238—1291, Or. 1625—1665) sequantur κομμός (El. 1292—1341) vel dialogus (Or. 1666—1681) et ampliores deorum epilogi (El. 1342—1356, Or. 1682—1690). Hunc igitur exitus morem in Hypsipyla adhiberi potuisse vix quisquam negabit.

Praeterea autem Robert contendit Euripidem facere non potuisse, quin in ipsa fabula etiam Lycurgum uxoris consiliis se addicere coactum faceret, ne qua sollicitudo de Hypsipylae sorte spectantibus relinqueretur. Sed num cogitaverit hac de

[1] *Die Iasonsage in der Hypsipyle* Herm. XLIV (1909) 396 sqq.

re Euripides, valde dubium mihi videtur, cum regem uxori esse assensurum facile de suo spectatores possent conicere, si omnino hac re scrupuli eis excitati erant.

Nulla igitur re Roberti coniectura postulatur, sed concedendum est fieri potuisse, ut eo, quem ille vult, more Euripides uteretur adductus scilicet eo consilio, ut Lycurgo contra omnem opinionem introducto animos spectantium graviter commoveret. Hoc si factum est, quodam modo etiam fabulae ad exitum perducendae deus ille inservit, per quem *αἴτια* quaedam tragoediae fini inserta esse Wilamowitzium et Pfisterum secuti iam coniecimus.

Melanippas Euripides duas conscripsit, Melanippam Philosopham et Melanippam Captivam, quarum argumenta haud ignoramus[1]. Philosophae enim argumentum praebent Gregorius Corinthius[2], Dionysius Halicarnassensis, qui dicitur[3], Iohannes Diaconus[4], qui etiam prologi partem servavit. Captivae summam Hyginus fab. 186 tradit, quem ipsa fabula Euripidea vel hypothesi eius usum esse Matthiae (TGF p. 514) recte inde demonstrari vidit, quod Melanippam Desmontis filiam fecit mythographus. Hanc enim paterni nominis formam ex Euripideo titulo *Μελανίππη ἡ δεσμῶτις* inepte fictam esse apparet.

In Melanippa Philosopha Melanippa, Aeoli regis Hippaeque, filiae Chironis, filia, duos pueros, quos e Neptuno gravida peperit, in bovili exponit, pastores autem eos ut funestum prodigium (*ὡς βουγενῆ τέρατα* Iohannes Diaconus) ad regem portant, qui auctore Hellene patre comburere pueros constituit filiamque eos ad mortem exornare iubet. Filios agnoscit infelix mulier et primum omnino non esse prodigia, quae dicantur, rationibus philosophorum demonstrare conata patrem vult commovere, ut consilio desistat. Postremo autem, ubi nihil se proficere vidit, suos ipsius filios esse confitetur. Haec ex Iohanne, Gregorio, aliis scriptoribus, quorum locos

[1] Praeter ea, quae Welcker, Hartung, Nauck proposuerunt, cf. etiam R. Wuensch Mus. Rhen. IL (1894) 91 sqq. et de Wilamowitz *Eur. Her.* I² 10.

[2] Rhet. Graec. ed. Walz VII 1313, TGF p. 509.

[3] Ars rhet. IX 11 (Usener-Radermacher).

[4] Rabe *Aus Rhetoren-Handschriften* Mus. Rhen. LXIII (1908) 145 sq.

Nauck TGF p. 509 sqq. congessit, cognoscimus, ex Hygini autem fabula 186 concludere possumus regem ira inflammatum filiam effossis oculis in vincula conici, pueros denuo exponi iussisse.

Neque tamen Euripideum est Melanippa crudeli supplicio affecta finem fabulae dare[1], immo ex usitata eius ratione concludendum est deum aliquem in fine aut regi, ut filiae parceret, imperasse[2] aut, si supplicium non impedivit, renuntiasse matri postea lumen oculorum redditum[3] filiosque denuo expositos servatum iri.

Quaeritur autem, quis deus apparuerit quaeque exposuerit. Welcker, Hartung, Nauck, alii Hippen, matrem Melanippae, a dis equae specie indutam et inter astra relatam introduxerunt. Qua in sententia illi viri docti duobus veterum locis nituntur, altero epitomae Eratosthenis catasterismorum altero Pollucis. In illa enim epitoma (Robert Eratosth. p. 120, fr. 488 N) legimus: *Εὐριπίδης δέ φησι ἐν Μελανίππῃ Ἵππην* (*Μελανίππην* perperam codd., correxit Valckenaer) *εἶναι τὴν τοῦ Χείρωνος θυγατέρα, ὑπ' Αἰόλου δ' ἀπατηθεῖσαν φθαρῆναι καὶ διὰ τὸν ὄγκον τῆς γαστρὸς φυγεῖν εἰς τὰ ὄρη κἀκεῖ ὠδινούσης αὐτῆς τὸν πατέρα ἐλθεῖν κατὰ ζήτησιν, τὴν δ' εὔξασθαι καταλαμβανομένην πρὸς τὸ μὴ γνωσθῆναι μεταμορφωθῆναι καὶ γενέσθαι ἵππον. διὰ γοῦν τὴν εὐσέβειαν αὐτῆς τε καὶ τοῦ πατρὸς ὑπ' Ἀρτέμιδος εἰς τὰ ἄστρα τεθῆναι*[4]. Pollux

---

[1] Cf., quae supra p. 88 ad Alopam adnotavi.

[2] Cf. R. Wuensch l. l. p. 101. In Captiva, id quod ex Hygino vidimus, Euripides re vera Melanippam occaecatam et in vincula coniectam fecit, sed eadem in diversis fabulis diversa ratione tractare tam Euripideum est (cf. supra p. 76), ut Captivae argumento minime vetemur cogitare in Philosopha Melanippae esse temperatum.

[3] Hyg. fab. 186 de Melanippa captiva: *cui Neptunus lumen restituit.*

[4] Cf. etiam locos similes astronomicorum, quos Robert l. l. collegit. Nauck falso ea, quae ex Euripide desumpsit epitomae auctor, finiri censuit voce *ἵππον*. Nam etiam verborum *διὰ . . . . τεθῆναι* auctorem afferri illum poetam luce clarius apparet ex huius enuntiati structura, cum infinitivus *τεθῆναι* seiungi non possit ab antecedentibus infinitivi formis *εἶναι, φθαρῆναι, φυγεῖν, εὔξασθαι, μεταμορφωθῆναι, γενέσθαι*. Omnibus igitur Euripides auctor additur, quaecumque ea constructione continentur, quam accusativum cum infinitivo appellare solemus. Ad haec autem pertinent etiam verba *διὰ . . . τεθῆναι*. Tum constructione mutata aliunde addit ipse auctor

autem IV 141 (Bekker), TGF p. 510 haec praebet: *Τὰ δ' ἔσκευα ῥόσωπα . . . . Εὐίππη* (immo *Ἵππη*) *ἡ Χείρωνος ὑπαλλαττομένη εἰς ἵππον παρ' Εὐριπίδῃ.* Hippen igitur in equam transfiguratam ab Euripide in scenam esse productam hoc loco docemur, atque licet Pollux titulum fabulae, in qua prodiit illa, reticeat, tamen nullo alio loco melius potuit adhiberi, quam in hoc Philosophae exitu, scilicet ut filiam omnino servaret aut supplicio non impedito consolaretur tantum. Qua de causa iure videntur has partes Hippae concessisse viri docti.

Nunc autem in ipso prologo Philosophae, quem Iohannes Diaconus servavit, haec Melanippam de Hippa invenimus enarrantem (Rabe l. p. 101 l. p. 146):

Κείνην μὲν οὖν
ξανθῇ κατεπτέρωσεν ἱππείᾳ τριχὶ
Ζεύς, οὕνεχ' ὕμνους ἥδε χρησμῳδός, βροτοῖς
ἄκη πόνων φράζουσα καὶ λυτήρια.
πυκνῇ θυέλλῃ δ' αἰθέρος διώκεται
Μουσεῖον ἐκλιποῦσα Κώρυκιόν τ' ὄρος.
νύμφη δὲ θεσπιῳδὸς ἀνθρώπων ὕπο
Ἵππὼ κέκληται σώματος δι' ἀλλαγάς·
μητρὸς μὲν ἥδε τῆς ἐμῆς ἔχει πέρι.

Comperimus igitur ex ipsius Euripidis verbis Hippen, quod plurium, quam mortali licebat, perita erat, a Iove in equam esse commutatam atque deorum ira per terras agi ut verbi causa olim Ionem. Hac enim ratione explicanda videntur esse verba:

πυκνῇ θυέλλῃ δ' αἰθέρος διώκεται.

Sed ad astra eam esse elatam ne syllaba quidem commemoratur. Prorsus igitur, quae hoc loco exstant, abhorrent ab iis, quae ex Melanippa Euripidis se afferre contendit epitomae illius auctor. Neque id concludendum est Euripidem Hippen, quam in fine videtur introduxisse, in huius

epitomae: *ὅθεν τῷ Κενταύρῳ οὐχ ὁρατή ἐστιν, Χείρων γὰρ λέγεται εἶναι ἐκεῖνος.* Falso igitur atque contra ingenuum huius loci sensum etiam Robert in Eratosthenis reliquiarum editione l. l. post *τεθῆναι* leviter tantum, ante *Χείρων* graviter interpunxit. Immo, id quod ipse feci, post *τεθῆναι*, quo verbo finiuntur Euripidea, gravis, ante *Χείρων* levis distinctio est ponenda.

fabulae exitu ea narrantem fecisse, quae praebet astronomus, Melanippam autem in prologo nescientem, quae sors matri contigisset. Nam hac in fabula professa est Melanippa se a matre Hippa sapientiam didicisse (fr. 484 N). Quodsi hoc factum est, antequam Hippa equina specie induta est, in exitu dici non potuit, id quod praebet Eratosthenis epitoma, Hippen in ipso Melanippae partu (*ὠδινούσης αὐτῆς*) esse transfiguratam. Sin autem Melanippa Hippae disciplina fruebatur, postquam equa illa facta est, omnino ridiculum fuisset, si Euripides filiam induxisset nescientem, qua de causa mater sit commutata, quoniam tum consuetudine illius iam transfiguratae usa necessario ab ipsa Hippa comperire debuit equinae formae causam.

Itaque in eius fabulae exitu, cuius in prologo Melanippa de matris sorte renuntiavit, quae in exstanti prologi parte legimus, nullo modo Hippa ea potuit enarrare, quae praebet Eratosthenis epitoma. Neque ulli alii Philosophae loco res potuerunt inseri, quae a prologo prorsus abhorrebant. Qua de causa, cum non habeamus, quod falsa epitomae illius auctorem praebere existimemus, necessario coniciendum est ex Captiva haec esse desumpta, cuius in prologo ea infuisse proxima est coniectura. Eadem igitur, id quod iam saepius invenimus, in diversis fabulis diversa ratione explicavit Euripides.

Sed id quoque ex illo Philosophae prologi loco verisimile fit omnino non de caelo tamquam in astris positam Hippen in exitu huius fabulae descendisse, id quod omnes adhuc viri docti, quippe qui prologum illum ignorarent, censuerunt, sed ex erroribus subito reversam intervenisse. Haec igitur *νύμφη θεσπιῳδός* hac in fabula deae ex machina officiis functa primum aut consolata videtur esse filiam aut deorum scilicet mandata referens supplicium vetuisse. Sed num id quoque edocuerit, quae nomina pueris Melanippae indi oporteret, quam ad rem spectat fr. 489 N, valde dubium est. Nam hoc iam ipsa Melanippa in prologo proferre potuit. Iohannes enim Diaconus, cum prologi partem attulerit, praebet: *Εἶτα λέγει καὶ. ὅτι Ποσειδῶνι μιγεῖσα τέτοκε τοὺς διδύμους παῖδας.* Tum facile Melanippe addere potuit a Neptuno se iussam esse

pueros in bovile proicere[1] iisque nomina Boeotum et Aeolum indere[2].

Plane autem Euripideum esset, si ab Hippa in Philosophae fine puerorum virtus et gloria essent praedicatae. Atque esse renuntiatum ex Boeoto Boeotiam iri appellatum magna cum veri specie conici potest ex scholio Eur. Phoen. 1134 (Schwartz), quo legimus: *Τινές φασι τὰς ἑβδόμας πύλας τῆς Βοιωτίας καλεῖσθαι ἀπὸ Βοιωτοῦ τοῦ Ποσειδῶνος καὶ τῆς σοφῆς Μελανίππης, ἀφ' οὗ καὶ ἡ πᾶσα Βοιωτία ἐκλήθη.* In Philosopha igitur de Boeotia ex Boeoti nomine appellata actum erat, quam rem in fine per deum esse allatam usitata Euripidis his in rebus ratione docemur. Quale vero *αἴτιον* cum Aeolo hac in fabula sit coniunctum, nescimus.

In Melanippa Captiva Theano, Metaponti mulier, Melanippae filiis, quos expositos sibi supposuit, per fratres (cf. fr. 495 N, per filios falso Hyginus fab. 186) insidias parat. Sed cum ipsi Theanus fratres a Melanippae filiis necati sint, illa sua manu mortem sibi consciscit, Metapontus autem Melanippam captivam, quam interim filii a Neptuno iussi liberaverunt, in matrimonium ducit.

Hac in Melanippa Captiva res Metaponti, in oppido illo Magnae Graeciae, actas esse de Wilamowitz l. p. 101 l. ostendi censuit loco Strabonis, apud quem VI p. 265 de Metaponto urbe legimus: *Ἐνταῦθα καὶ τὸν Μετάποντον μυθεύουσι καὶ τὴν Μελανίππην τὴν δεσμῶτιν καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς Βοιωτόν.* Etiam Welcker *Griech. Trag.* II 850 sqq. res Metaponti gestas in Captiva infuisse iudicavit. Sed Strabonis illo loco minime demonstratur, quod demonstrari putabat de Wilamowitz, cum ex eo id unum cognoscamus de Metaponti origine actum esse aliquomodo in Captiva. Huius modi autem *αἴτια* Euripidem

[1] *Ἡ δὲ (Μελανίππη) . . . . . τοὺς γεννηθέντας εἰς τὴν βούστασιν ἔδωκε τῇ τροφῷ θεῖναι κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κατασπείραντος* Iohann. Diac. in hyp. Rabe p. 145.

[2] De Wilamowitz Anal. Eurip. p. 190 in Melanippae Captivae prologo nomina puerorum allata esse censuit, quod apud Strabonem VI p. 265 legimus: *Μελανίππην τὴν δεσμῶτιν καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς Βοιωτόν.* Neque tamen his verbis demonstrari Boeoti nominis explicationem soli Melanippae *τῇ δεσμώτιδι* insertam fuisse facile apparet e scholio Eur. Phoen. 1134, quo praebetur *Βοιωτοῦ τοῦ Ποσειδῶνος καὶ τῆς σοφῆς Μελανίππης.*

per deos in fabularum finibus renuntiare consuevisse tam multis locis iam vidimus, ut etiam hac in fabula usitata sua ratione eum uti potuisse nemo iure sit negaturus. Hoc si re vera factum est, in fine Captivae deus aliquis apparuit, qui Metapontum regem, ut oppidum ex nomine suo appellatum conderet, monuit. Tum in hac fabula res non Metaponti gerebantur, ita ut ex Strabonis illo loco nihil omnino discamus, si, ubi gestae sint res Captivae, quaerimus. Diiudicatur autem haec quaestio eo, quod Hyginus fab. 186 expressis verbis contendit Icariae regem fuisse Metapontum quodque omni caret probabilitate Icariae nomen duobus Hygini locis pro usitatissima voce Italiae irrepsisse, id quod eis censendum est, qui Metaponti res in Captiva actas esse proposuerunt (cf. TGF p. 514). Iure igitur R. Wuensch l. p. 101 l. servavit Icariam, quam praebet Hyginus, eamque vicum esse illum Atticum probabiliter coniecit [1].

Hac igitur in fabula, cuius argumentum non Metaponti, sed Icariae agebatur, in fine Metaponto per deum esse mandatum, ut patria excederet et Metapontum urbem conderet, locus ille Strabonis docet. Recte Wuensch huc rettulit Athenaei locum XII p. 523 D, quo exstat: *Ὠνομάσθη δ' ἡ Σῖρις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι καὶ Εὐριπίδης ἐν δεσμώτιδι τῇ Μελανίππῃ ἀπὸ γυναικός τινος Σίριδος.* Sirin enim priscum Metaponti nomen fuisse Stephanus Byzantius s. v. *Μεταπόντιον* tradit. Illo igitur Athenaei loco, quem Hartung

[1] Assentitur Wuenschio Beloch Herm. XXIX 604. — Si Hyginus tradit Metapontum exire *ad Dianam Metapontinam ad sacrum faciendum*, hoc ad Dianam in urbe Metaponto cultam spectare opus non est. Nam etiam Icariae, in vico Attico non longe a mari sito, coli potuit *Ἄρτεμις Μεταποντίνη* vel *Μεταποντία* i. e. dea marina, quae nautis secundum *μετὰ πόντον* vel *διὰ πόντου* (*μεταπόντιος* idem esse atque *διαπόντιος* Hesychius testatur III 98 Schmidt) cursum dabat, sicut colebatur *Ἄρτεμις Ἐκβατηρία, Εὐπορία, Εὔνοστος*. De Diana, dea marina, cf. Wernickium apud Pauly-Wissowam s. v. *Artemis* II 1349 sq. In Icaria saeculo IV. Euripidis fabulam haud ignotam fuisse nescio an probetur titulo quodam (*Rev. des ét. gr.* XIII 1900 p. 193): *Μελάνιππος Μελανώπου Ἰκαριεύς*. Robert autem l. supra p. 100 l. p. 402 pro *Icaria* fortasse *Caria* legendum esse censet, cum Stephanus Byzantius s. v. *Σύμη* priore aetate huic insulae Caricae nomen *Μεταποντίδα* fuisse testetur. Sed incertior haec coniectura mihi videtur, quam ut eius gratia quod traditum est verbum commutetur.

et Welcker male intellegentes prologo inseruerunt, si ad Strabonis verba refertur, demonstratur Metaponto esse edictum, ut urbem veterem Siridem, quae olim a muliere Siride appellabatur, denuo exaedificaret et a suo nomine Metapontum appellaret. Tum Hyginus praebet in exitu fabulae 186: *Metapontus duxit coniugio Melanippen eosque* (i. e. eius filios) *sibi filios adoptavit, qui in Propontide ex suo nomine condiderunt Boeotus Boeotiam, Aeolus Aeoliam* [1]. Wuensch autem l. l. coniecit non oppida Thraciae cum Boeoto Aeoloque coniunxisse Euripidem, sed potius e Boeoto Boeotis, ex Aeolo Aeoliis vel Liparaeis insulis nomina indidisse. Neque tamen verisimile est Hyginum, quem hac in fabula ipsum Euripideae Captivae argumentum praebere vidimus, *αἴτια*, quae ibidem affert, non ex Euripide desumpsisse. Aliarum igitur rerum *αἴτια* in exitu Philosophae, aliarum in exitu Captivae cum iisdem heroibus videtur coniunxisse Euripides.

Ut nodus solvatur, deus in Captiva nullius momenti est, cum Metapontus, ut Melanippam uxorem duceret, divino mandato non egeret. In Philosopha autem Euripidi, si quidem Melanippae supplicium impediri voluit, etiam ad componendam fabulam Hippa opus erat, cum numine non intercedente Aeolus vix posset induci commotus, ne filiam impudicam poena afficeret. Sed ut *αἴτια* explicentur, in duabus fabulis deis opus est.

In Philosopha Hippen apparuisse verisimile est, in Captiva autem Neptunus, a quo adiutos Aeolum et Boeotum novercae insidias vitasse matremque liberasse Hyginus auctor est, *ἀπὸ μηχανῆς* intervenisse videtur.

In Meleagro Euripides notissimam illam Meleagri mortem tractavit, cui, cum Atalantae amore concitatus fratres matris necasset, ipsa mater fatali ligno combusto mortem conscivit. Hac in tragoedia usitatam de Meleagro fabulae formam [2] adhibuisse Euripidem Welcker et Hartung voluerunt; aliam autem viam ingressus fortasse recte [3] Th. Zielinski

[1] Cf. Steph. Byz. editionis Meinekianae s. v. *Αἰόλειον* et *Βοιωτία*.

[2] Hyg. fab. 174; Ovid. metam. VIII 270—545; Apollod. I 70sq.

[3] Praecipue commendatur Zielinskii argumentum, quod *ἐρωτικὸν πάθημα* eo continetur, qualia ab Euripide saepius esse tractata satis notum est (cf. A. Dieterich l. supra p. 81 l. p. 1269).

Philol. *N. F.* XVIII (1905) 4 sq. censuit Althaeam nefasto ipsius filii amore excitatam primo Atalantae, ne illius amorem sibi conciliaret, per fratres suos insidias parasse, deinde ipsum filium, cum avunculos interfecisset, neci dedisse. Sed sive hoc sive illo argumento usus est Euripides, in neutro deus aliquis in fine introductus ad nodum solvendum quicquam conferre potuit, cum Meleagrum non a morte servare posset. Quin etiam dubium esset, num omnino deus esset adhibitus, nisi scholio Pind. Nem. 10, 12 haec in Meleagro dicta esse traderentur, fr. 537 N:

Εἰς ἀνδροβρῶτας ἡδονὰς ἀφίξεται
κάρηνα Τυδεὺς γένυσι Μελανίππου σπάσας.

Quibus e versibus, qui ad Tydei, Meleagri fratris, mortem ab Apollodoro III 76 et aliis memoriae traditam pertinent, elucet in fine fata Meleagri cognatorum praenuntiata esse, id quod per deum factum esse proxima est coniectura. Breviter igitur Tydei mors et ipsius Oenei calamitates, de quibus propriam tragoediam Oeneum Euripides conscripsit (cf. schol. Arist. Ach. 418, TGF p. 536 sqq.), a deo illo sunt commemorata. Verisimile hoc quoque est de sororum Meleagri metamorphosi verba esse facta, quae in Meleagrides aves mutabantur (cf. supra p. 55). Quod si in exitu infuisse censemus, etiam in hac fabula *αἴτιον* invenimus. Addi poterant nuptiae quoque Herculis et Deianirae (cf. Bacchylidem carm. V Blass). Quis tamen deus intervenerit, nescimus.

Praeterea adnotanda est Max. Mayeri sententia, qui l. p. 89 l. p. 82 sq. coniecit Furiam apparuisse in Meleagro. Hanc si revera prodiit, eadem ratione atque Lyssam in Hercule esse introductam nobis sumere possumus.

Inonis argumentum iam non exstare Nauck contendit TGF p. 482, cum inter diversas fabulas, quae de Inone tradantur, Euripideam dinoscere non possimus cumque Hygini fabulam quartam, quae Inonis hypothesin secundum Euripidem se dare profiteatur, spuriam esse recte Bursian cognoverit. Hic enim *Jahrb. f. Phil.* XCIII 776 contendit hanc fabulam a sciolo quodam recentioris aevi Hygino esse inculcatam, atque assensus ei est Mauritius Schmidt in editione Hygini fabularum

(Ienae 1872), qui p. 40 fabulam quartam uncis seclusit. Sed nonne retractator ille ingenuum Euripidis argumentum addere potuit, qui certis verbis Euripideam fabulam se praebere in titulo affirmet? Qua de causa, praesertim cum etiam Antiopae argumentum ab Hygino, quem hodie in manibus tenemus, servatum accuratissime cum Euripidis fragmentis consentire supra p. 75 sqq. viderimus, non habemus, quod fabulam in Hygino hodie exstanti traditam reiciamus, nisi aut fragmentis oppugnat Euripideis aut Euripideam indolem non sapit.

At fragmenta cum quarta Hygini fabula congruere iam Welcker *Griech. Trag.* II 615 sqq. et Hartung Eur. Rest. I 453 sqq. demonstraverunt, indolem autem plane esse Euripideam statim videbimus. Legimus enim in Hygino, qui vocatur, haec: *Ino Euripidis. Athamas, in Thessalia rex, cum Inonem uxorem, ex qua duos filios ⟨procreaverat⟩*[1], *perisse putaret, duxit Nymphae filiam Themistonem uxorem, ex ea geminos liberos procreavit. Postea resciit Inonem in Parnasso esse, quae bacchationis causa eo pervenisse . . . . Misit, qui eam adducerent; adductam celavit*[2]. *Resciit Themisto eam inventam esse; sed, quae esset, nesciebat. Coepit velle filios eius necare. Rei consciam, quam captivam esse credebat, ipsam Inonem sumpsit et ei dixit, ut filios suos candidis vestimentis operiret, Inonis filios nigris. Ino suos candidis, Themistonis pullis operuit. Tunc Themisto decepta suos filios occidit. Id ubi resciit, ipsa se necavit. Athamas autem in venatione per insaniam Learchum, maiorem filium, interfecit; at Ino cum minore filio Melicerte in mare se deiecit et dea est facta.*

Quodsi Apollodorus I 84 tradit Inone mortua Themistonem ab Athamante uxorem ductam esse, hanc narrationem longe simpliciorem etiam vetustiorem et ingenuam huius fabulae formam esse persuasum habeo. At tragicum, immo plane

[1] ⟨*procreaverat*⟩ exempli causa addidi, cum certe lacuna, quae exstat post vocem *filios*, suppleri non possit.

[2] Ad misera vestimenta, quibus induta Ino in Parnasso erravit et tamquam serva in regiam adducta est, spectare videtur Aristophanes, cum in Acharnensibus 432 sqq. Euripidis personas pannis obsitas illudat:

Ὦ παῖ, δὸς αὐτῷ Τηλέφου ῥακώματα,
κεῖται ἄνωθεν τῶν Θυεστείων ῥακῶν
μεταξὺ τῶν Ἰνοῦς.

Hac de re v. Escherum apud Pauly-Wissowam s. v. Athamas II 1932.

Euripideum est singulari inventione adhibita fingere reginam illam non esse mortuam, sed ab omnibus pro mortua haberi, hoc scilicet fine, ut priore uxore praeter recentiorem recepta nodus tragoediae artificiosius intricetur. Similiter enim atque hoc in argumento Themisto Inonis liberis insidiatur, in Melanippa Captiva Theano liberos suppositicios necare conatur; in Antiopa autem ipsos filios ad matrem necandam Dirca excitat, ut hac in fabula matris auxilio ad filios interimendos uti conatur Themisto. Maximam vero atque, ut praecipue Antiopae exemplum docet, Euripidi propriam artem tragicam sapit Themistonem inducere nihil suspicantem et rivali ea concredentem, quae ad rivalis filios perdendos commenta est. Fabulae igitur ab Hygino traditae inventio cum ea ratione, quam alibi quoque adhibuit Euripides, consentit. Euripideus autem etiam exitus est, in quo Ino in deorum numerum recipitur, id quod nisi per deum ex machina nuntiari non potuit. Neque enim habemus, quod, quae in fine praebet mythographus, non Euripidea sed aliunde addita esse censeamus.

Fabulam igitur, quae apud Hyginum exstat, cum indolem Euripideam prae se ferat neque cum fragmentis pugnet et Euripideam se esse certis verbis affirmet, ab Euripide ii abiudicent, qui ne certis quidem testimoniis et argumentis fidem habent. Immo optimo iure Welcker et Hartung eam in fragmentis disponendis fundamentum posuerunt, qua in re Hartung nonnulla mihi melius videtur fecisse quam Welcker. Praecipue Hartungio in eo est assentiendum, quod non statim post Themistonis suicidium finem fabulae dedit, id quod Welcker voluit, sed etiam Athamantis Inonisque insanias in fabula tractatas esse censuit. Vix enim existimari potest haec omnia Athamanti et Inoni antea nuntiata esse, ut quasi edocti atque instructi insanirent, sed multo melius et ad naturalem rerum cursum aptius agitur, cum deus apparet, postquam Athamas insaniens filium necavit, Ino cum altero in mare se praecipitavit, ut Athamas insania sedata, quaecunque facta sunt, intellegat [1].

[1] Sic etiam in Bacchis Liber Agauae, postquam ex insania se collegit, praecipit, quae sint facienda.

Extrema Hyginus, qui vocatur, breviter comprehendens sic tradit: *Ino cum minore filio Melicerte in mare se dciecit et dea est facta*, sed etiam Melicertae cultum et sacra per deum ex machina instituta esse magna cum probabilitate sumi potest. Haec accuratius habemus exposita apud Hyginum in altera fabula: *Liber Leucotheam voluit appellari* (sc. Inonem) .... *Melicerten autem deum Palaemonem; . . . . . huic quinto quoque anno ludi gymnici fiunt, quae appellantur Ἴσθμια.* Isthmia autem in Melicertae honorem instituta esse etiam Apollodorus III 29 tradit. Deus igitur videtur praenuntiasse Inonem et Melicerten cultu iri celebratum et in Melicertae honorem ludos Isthmios institutum [1].

Praeterea eundem deum Athamanti imperasse verisimile est, ut ad caedem filii expiandam patria excederet atque, cum eo venisset, ubi bestiarum hospitio esset usurus, in regione ex ipsius nomine appellata novam sedem conderet [2]. Quas res Apollodorus I 84 tradit [3], etsi non in Thessalia [4], sed in Boeotia Inonem mortuam et nova sede condita Themistonem ab Athamante uxorem esse ductam refert. Haec discrepantia eo explicatur, quod Apollodorus vulgarem fabulae formam praebet, quam, ut duas rivales introduci possent, ab Euripide commutatam esse iam vidimus.

Hac in fabula ἀπὸ μηχανῆς tamquam deus solus Liber apte potuit adhiberi; quam in sententiam recte Hartung iit. Liber enim non modo ab Inone et Athamante educatus artissime cum iis coniunctus erat, sed etiam ab Hygino in altera fabula Inonem et Melicerten deos fecisse traditur. Quocum consentit scholion Odys. V 334 (Dindorf) [5]. Ex Hygino hoc

---

[1] De Inonis et Melicertae cultibus Isthmicis conferendus est E. Maaß *Griechen und Semiten auf dem Isthmus von Korinth, Berlin* 1902.

[2] *Ἐν τῷ Ἀθαμαντίῳ πεδίῳ* (vide Oberhummerum apud Pauly-Wissowam s. v.) in Phthiotide sito *Ἅλος* oppidum ab Athamante conditum et ex erroribus eius appellatum esse Stephanus Byzantius s. v. *Ἅλος* tradit. Fortasse etiam hoc *αἴτιον* exstabat apud Euripidem.

[3] Cf. etiam schol. Apoll. Rhod. II 513 (Merkel).

[4] In Thessalia Euripideae Inonis argumentum actum esse contendit Hyginus iure, ut fr. docet 422, ubi *Θετταλοί* commemorantur.

[5] *Διὰ δὲ τὴν Διονύσου τροφὴν σὺν τῷ παιδὶ ἰοσθέου τιμῆς ἔλαχε (ἡ Ἰνώ), καὶ τὰ ὀνόματα μετέβαλεν ἡ μὲν Λευκοθέα κληθεῖσα διὰ τὴν φυγὴν*

quoque comperimus bacchationis causa Inonem Euripideam in Parnassum venisse, unde elucet iam a principio tragoediae Inonem cum Baccho artissime fuisse coniunctam. Neque tamen quicquam in Euripidem valet, quod Ovidius met. IV 539 sqq. a Neptuno Inonem deam factam esse refert, cum facile perspiciatur simplici cogitandi ratione Romanum illum aut eum, quem secutus est, deam marinam a maris rege inter deos relatam fingere potuisse.

Fragmentorum, quae supersunt, certe nullum exitui tragoediae tribui potest, tamen aut Inonis aut Phrixi fini, de quo statim erit disserendum, videntur esse inserenda adespoton fr. 100 N:

Πόντου πλάνητες Λευκοθέαν ἐπώνυμον

et 101:

Σεμνὸς Παλαίμων ναυτίλοις κεκλήσεται[1].

Ad Athamantis errores Welcker Valckenarium l. p. 98 l. p. 180 secutus Eur. fr. 421 N refert:

Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος ὥστε θὴρ μόνος.

Sed hic versus, quem in Inone infuisse Pollux VII 178 (Bekker) tradit, etiam alio huius fabulae loco potuit exstare.

Ad absolvendam tragoediam deo opus non est, cum Athamas, postquam ex insania se collegit, fletibus finire fabulam posset, etsi negari non potest iis, quae renuntiat deus, animos spectantium aliquanto sedari. Praecipue autem adhibitus esse videtur deus, ut *αἴτια* cum argumento cohaerentia exponeret; quin etiam, quaecunque omnino potuit renuntiare, sola *αἴτια* sunt: Inonis et Melicertae cultus, Isthmiorum et Athamantii campi origines.

In Phrixo ea Euripidem tractasse, quae Hyginus altera

πεποιῆσθαι διὰ τοῦ Λευκοῦ πεδίου τῆς Μεγαρίδος, ὁ δὲ Παλαίμων διὰ τὸ συλλαμβάνεσθαι τοῖς παλαίουσι κατὰ θάλασσαν. Utrum hac vel simili ratione etiam apud Euripidem nomina Leucotheae et Palaemonis explicata fuerint necne, incertum est. Sed aliquam nominum explicationem fuisse additam probabilis est coniectura. Valde enim Euripides tales etymologias adamabat, velut in Helenae prologo 9—15 Theoclymeni et Theonoae, fr. 148 Zethi, fr. 489 Boeoti nomina explicavit, ut alia praetermittam.

[1] Inoni haec duo fragmenta iam attribuit de Wilamowitz in Indice scholarum Gottingensium 1893 p. 26.

fabula praebet excepta ultima huius tabulae parte, de qua statim agemus, magna cum veri specie Welcker *Griech. Trag.* II 611 sqq. demonstravit. Ino, ut Phrixum et Hellen, Nebulae liberos, neci det, una cum ceteris mulieribus fruges ad sementem destinatas torret, deinde, cum frumenta non crescunt, falsum Apollinis responsum Delphis referendum curat, quo, ut immoletur Phrixus, imperatur. Sed scelere ab ipso satellite, qui nuntium Delphis rettulit, detecto nefasta illa mulier una cum Melicerte filio necanda Phrixo traditur, sed a Libero patre, quippe cuius nutrix fuerit, caligine velata eripitur. His expositis addit Hyginus Athamantem insania incitatum Learchum filium necasse, Inonem cum Melicerte in mare se praecipitasse et cum filio in deorum numerum Liberi voluntate receptam esse. Hanc fabulae formam a Phrixo Euripidea plane abhorrere iam Welcker recte vidit (l. l. p. 614 sq.), cui assentiri ne cunctemur. Inonem enim, quam modo Bacchus servavit, non paulo post in eadem fabula in mare se praecipitare potuisse nemo non videt. Qua de causa etiam Learchi mors et Athamantis insania, quae omnibus locis cum illa Inonis calamitate artissime coniunguntur[1], a Phrixo Euripidea separandae sunt. Sed ipse mythographus hoc loco videtur indicare non res arte cum antecedentibus cohaerentes se nuntiare sed ea tantum edocere, quae posteris temporibus hominibus, de quibus modo egit, evenerunt[2]. Verbis enim *Athamas ab Iunone insania obiecta* eqs. addit vocem *postea*, qua clare sequentia ab antecedentibus separantur. Videmus igitur ea, quae ex Phrixo Euripidea desumpta sunt, finiri, cum Inonem a Libero abreptam esse referatur.

In fine autem tragoediae, cui hoc argumentum fuit, deum apparuisse certe constat, cum Inone subito de medio remota nemo nisi deus, quae sors ei contigisset, potuerit explicare. Sic etiam in Oresta Apollo renuntiat Helenam a dis esse

[1] Cf. argumentum Inonis Euripideae, de quo modo disseruimus; Apollod. I 84; scholion Odyss. V 334 (Dindorf); Escherum apud Pauly-Wissowam s. v. Athamas II 1932.

[2] Haec Hyginus vel auctor eius aut fabulas, quae vulgo tradebantur, secutus referre aut ex ipsius Euripidis Inonis fine, cui eadem inserta fuisse supra p. 109 sqq. vidimus, desumere potuit.

abreptam. Tum inter omnes constabat Phrixum et Hellen insidiis novercae evitatis in ariete, quem a Nebula matre acceperunt, ad Aeetam confugisse[1]. Magna igitur cum veri specie suspicari possumus deum, quem intervenisse iam vidimus, eis imperasse, ut ad Colchos confugerent. Huc probabiliter rettulerunt viri docti scholion Apoll. Rhod. II 382 (Merkel), fr. 838 N, in quo legimus: *Ἡ δὲ νῆσος καλεῖται Ἀρητιάς . . . . ὅτι δὲ ἡ νῆσος αὕτη ὄρνιθας ἔχει τοξευούσας τοῖς πτεροῖς ὡς βέλεσιν ἱστορεῖ καὶ Εὐριπίδης ἐν Φρίξῳ*[2]. Ab hisce sagittis arieti cavendum esse nimirum is praenuntiavit, qui Phrixum et Hellen ad Colchicum iter excitavit ipsamque viam descripsit (cf. Welckerum l. l. p. 615).

Quodsi quaerimus, quis deus apparuerit, is, qui solum Hyginum spectabit, Bacchum introductum esse suspicabitur. Sed Nebula, quae apud Apollodorum aliosque (cf. h. p. adn. 1) Phrixum et Hellen ab insidiis novercae servat, aptior videtur, quae suis ipsius liberis iter, quod in ariete ab eadem Nebula comparato facturi sunt, describat. Qua de causa verisimile fit et Welckero quoque probatum est Nebulam non Bacchum in Phrixi fine intervenisse. Tum summam exitus quadam cum veri specie sic restituere possumus. Phrixus, qui Inonem et Melicerten ad supplicium in regiam abduxit, subito terrore concitatus ex aedibus procurrit atque deorum potestate scelestam illam caligine circumfusam et una cum filio subreptam esse declarat. Omnibus timore perterritis Nebula cum ariete apparet, quaeque facta sunt, explicat. Bacchi aliorumque deorum voluntate Inonem nutricem eius esse abreptam, ut, cum optime de illo meruisset, una cum filio in deorum numerum reciperetur atque cultu sacrisque coleretur a mortalibus[3].

[1] Hyg. fab. 3. Hoc ex Hygini loco Welcker *Griech. Trag.* II 615 coniecit in Phrixo Euripidea Liberum non modo Inonem abripientem sed etiam Phrixo et Hellae insaniam immittentem esse inductum, ita ut in silvis errarent. Sed haec coniectura certe non potest confirmari, cum, sitne haec fabulae forma ab Hygino ex Euripide assumpta, plane nesciamus. Nebulae liberos insidias novercae effugientes in Colchidem se contulisse praeter Hyginum praebent Hyg. astron. II 20; Apollod. I 80 sqq.; Ovid. fast. III 849 sqq.; cf. Escherum l. l. p. 1931.

[2] De hac re v. Hirschfeldium apud Pauly-Wissowam s. v. *Aretias.*

[3] Cf. supra p. 111. Hyginus haec, quamquam in ipso alterius fabulae

Certa fere mihi videtur haec coniectura. Nam, si Euripides Inonem et Melicerten, quos deos esse factos inter omnes constabat, divina ope ex mortalium conspectu abreptos induxit, qua tandem alia de causa hoc factum esse fingere potuit nisi, ut inter deos illi reciperentur? Eadem de causa, scilicet ut dea fiat, etiam Helena ab Apolline in Oresta abducitur. *Αἴτια* igitur cultus Inonis et Melicertae, quae in Inonis exitu infuisse iam coniecimus etiam in Phrixi fine exstabant, nisi quod in hac fabula cum aliis rebus erant coniuncta atque in illa.

Phrixum autem et Hellen Nebula videtur admonuisse, ne diutius in illa domo morarentur, in qua tanta pericula eis impendissent, sed in ariete a se parato ad Colchos fugerent. Quo loco, cum via arietis describeretur, id insertum videtur fuisse, quod scholion Apollonii Rhodii de Aretia insula praebet.

Haec autem fabula deo carere non potuit, cum tam implicata sit, ut sine deo secundum fabulas vulgo traditas extricari non potuerit. Quis enim nisi deus Inonis abreptae sortem explicaret? Inonem autem parricidii supplicio affici vetuerunt ea, quae vulgo credebantur. Sed qui accuratius istam fabulam cum Oresta comparabit, eum effugere non poterit in tota indole has duas fabulas inter se consentire. Neque enim quisquam, qui ea, quae antea de religione Euripidis diversis locis monuimus, memoria recolit, dubitare potest, quin ille Inonem, quae nefasto scelere Nephelae liberos persecuta est, morte dignam fuisse censuerit. At cum dea facta esse vulgaribus fabulis traderetur, in fine deo adhibito ad vulgarem religionem ei erat redeundum.

Fabulis, in quibus deos ex machina apparuisse aut constat aut certe conici potest, perlustratis ad duas accedamus, quas

---

fine affert, tamen cum interitu Inonis secundum alteram illam fabulae formam enarrato coniunxit, quam in Phrixo adhiberi non potuisse iam vidimus. Sed in Inonis fine Euripides eodem modo atque Hyginus in fabula altera res coniunxit (cf. supra p. 109). Simillimam discrepantiam etiam in Helenae apotheosi apud Euripidem invenimus, cum in Helena 1654 sq. secundum vulgares fabulas velut Odysseae librum quartum Helenam ex Aegypto reversam domi cum Menelao esse victuram contendat, in Orestae fine eam, antequam omnino Spartam venit, ab Apolline abreptam et deam factam inducat.

per deos explicatas esse etiamsi certis argumentis confirmari non potest, tamen verisimile est: Andromedam et Danaen.

In Andromeda deum intervenisse e nonnullis astronomorum testimoniis omnes fere homines docti coniecerunt. Loci, de quibus agitur, facillime in Roberti reliquiis Eratosthenicis possunt inveniri. Quae sub voce *Κηφεύς* in Eratosthenis epitoma exstant, iam supra p. 53 exscripsi, eadem tradunt schol. Germ. BP p. 77, 5; Hygin. astr. II 9, Robert p. 115. Tum s. v. Cassiopeia praebet Hyginus astr. II 10, Robert p. 117: *de hac Euripides et Sophocles et alii complures dixerunt, ut gloriata sit se forma Nereidas praestare. pro quo facto inter sidera sedens in siliquastro constituta est.* Qua in re solus Hyginus Euripidem affert auctorem, in epitoma Eratosthenis et scholio Arati solum Sophoclem invenimus (cf. supra p. 53). S. v. Andromeda praebet epitoma Erat., Robert p. 118: *Αὕτη κεῖται ἐν τοῖς ἄστροις διὰ τὴν Ἀθηνᾶν τῶν Περσέως ἄθλων ὑπόμνημα διατεταμένη τὰς χεῖρας ὡς καὶ προετέθη τῷ κήτει.* Deinde Andromedam a Perseo servatam in Argivorum fines eum secutam esse refertur. Tum adduntur: *Λέγει δὲ καὶ Εὐριπίδης σαφῶς ἐν τῷ περὶ αὐτῆς γεγραμμένῳ δράματι.* Eadem praebent schol. Germ. BP p. 78, 9, G p. 97, 23; Hyg. astr. II 11, Robert p. 118 sq. Euripidem interdum catasterismos rettulisse certe ex iis, quae de Hyadibus supra p. 97, Hippa p. 102, tauro p. 52 ex astronomicis attuli, apparet. Sed iis ipsis omnibus locis clare vel ipsa verborum iunctura demonstratur hos *καταστερισμούς* in versibus Euripideis infuisse, id quod iis locis, quibus de Andromeda agitur, inveniri non potest. Loco s. v. *Κηφεύς* exstanti Euripidem tamquam catasterismi auctorem non afferri iam supra p. 53 vidimus; in iis, quae s. v. Cassiopeia praebet Hyginus, Euripidi Sophocli aliis clarissime sola verba *ut .... praestare* attribuuntur, quippe quae pendeant a verbo finito *dixerunt*; sequentia autem ipse astronomus de suo addit, quare constructione mutata novum enuntiatum adhibetur. Etiam in iis, quae de Andromeda in Eratosthenis epitoma legimus, *τὸ περὶ αὐτῆς δρᾶμα* ad Andromedae sortes catasterismo additas, non ad ipsum catasterismum pertinere videtur. Astronomorum igitur locis non potest demonstrari in Andromeda Euripidea catasterismos

illos infuisse. Quodsi renuntiati essent, deum, qui eos vaticinaretur, postulassent.

Neque Engelmanno contigit, ut in Studiis suis Archaeologicis, quem librum supra p. 85 laudavi, ex vasculis ostenderet in Andromeda Venerem ἀπὸ μηχανῆς esse introductam. Duas enim vasorum imagines affert l. l. p. 69 et 72 depictas, quarum in altera colloquium Persei et Andromedae ad rupes alligatae inest. Super Perseo astat Venus coronam ei porrigens et ab altero latere Andromedae Mercurius. In altera imagine tres figurarum ordines insunt, quorum inferiore Perseus beluam interficiens, medio Andromeda ad rupes alligata et a compluribus hominibus circumdata, superiore Cephei satellites, Cupido, Venus, mulier quaedam, cui recte nomen Πειθώ indidit Engelmann, picti sunt. Sed ex his imaginibus, praeterquam quod plane nescimus, num auctores earum Euripideam Andromedam spectaverint, iure quodam colligi posse, quis deus in fine huius fabulae apparuerit, prorsus nego. Nam in utroque vasculo non unus sed complures dei adduntur, unde elucet non ex Euripidea fabula deum ex machina assumpsisse artifices, sed deos ad ea, quae aguntur, uberius illustranda de suo addidisse. Atque simplici cogitatione usi Mercurium addiderunt tamquam deorum nuntium et Persei fautorem (Apollod. II 37, 39), Venerem autem cum Cupidine et Suadela, quod amore incitatus i. e. his ipsis deis auctoribus Perseus virginem servavit. Eo igitur, quod in altero vasculo Venus Perseo coronam porrigit, significatur per hanc deam ei virginis amorem necataeque beluae gloriam parari. Alterius autem imaginis auctor Venerem eiusque comites ipsos ei proelio interesse voluit, quod eorum consilio gestum videbatur. Plane eadem ratione in illo notissimo ectypo[1], quo Paris ad Helenam veniens effingitur, Venus et Suadela prope illam sedent, Cupido gratiam Paridis conciliare conatur Helenae. Vasculorum igitur imaginibus non magis quam locis astronomicorum deum apparuisse in Andromeda demonstrari potest. Tamen negare non licet fieri potuisse, ut catasterismos illos deus aliquis in fine fabulae renuntiaret ita, ut etiam Sophocles in Andromeda

[1] Roscher I 1938 s. v. Helena.

κῆτος inter astra elatum esse per deum exposuit (cf. supra p. 52 sqq.). Sed si quis, qualis deus in Andromeda intervenerit, interrogat, aut de Minerva fautrice et adiutrice Persei cogitandum est, per quam catasterismos illos effectos esse etiam astronomi referunt[1], aut de Mercurio, deorum nuntio, qui et ipse Perseum adiuvit.

In Danaa deum esse introductum certa fere est coniectura, etiamsi neque in fragmentis neque in grammaticorum adnotationibus quicquam habemus, ex quo deum apparuisse eluceat. Etiam eo, quod in personarum catalogo illius viri docti, qui exacto medio aevo Danaen Euripideam retractare conatus falsum personarum catalogum falsumque prologum memoriae reliquit, Minerva exstat ut dea ex machina, non demonstratur Euripidem ipsum Minervam adhibuisse. Recte enim R. Wuensch in Mus. Rhen. LI (1896) 149 ostendit illum, quem Marcum Musurum esse censet, Euripideam Danaen iam non cognovisse, sed quae in prologo praebet, ex aliis poetis scriptoribusque desumpsisse, personarum autem catalogum ex usitata Euripidis ratione ipsum confecisse.

In Danaa res usque ad illius poenam gestas infuisse inde suspicandum est, quod ea, quae Danaae e mari servatae contigerunt, in *Δίκτυι* (TGF p. 459 sqq.) Euripides tractavit. Neque tamen Danaae cum puero in mare deiectae deus potuit deesse, cum ex more Euripideo, quae sors illi Iovisque puero futura esset, renuntiari deberet. Quae praeterea sint proposita, nescimus, sed iis, quae in aliis exitibus invenimus, commendatur etiam de Persei factis et gloria verba esse facta.

Haec sunt, quae de usu deorum ex machina Euripidis et ex fabulis adhuc exstantibus et ex perditis, quae dicuntur, enucleari possunt. Quibus perlustratis in universum de dis in fabularum finibus ab Euripide adhibitis iudicemus.

Cognovimus Euripidem deis, ut fabulas ad exitum perduceret, in tragoediis multo pluribus uti non consuevisse. Nam e fabulis adhuc exstantibus in Oresta deo ad nodum solvendum opus est, in Iphigenia Taurica et in Hippolyto deus aliis de

[1] Ἀθηνᾶς γνώμῃ s. v. *Κηφεύς*, διὰ τὴν Ἀθηνᾶν s. v. *Ἀνδρομέδα*.

causis introductus etiam ad fabulam absolvendam adhibetur, in reliquis deus aut argumento iam plane peracto apparet aut facillima commutatione adhibita vitari potuit. Quantum autem de fabularum perditarum compositione iudicare licet, deus facile potuit evitari in Antiopa, argumento iam peracto videtur apparuisse in Alopa, Bellerophonte, Erechtheo, Inone, Melanippa Captiva, Meleagro, Danaa, Andromeda, si in hac tragoedia omnino deus est introductus. Idem fortasse factum est in Hypsipyla et Melanippa Philosopha, neque tamen certe statui potest eo modo compositas fuisse has fabulas, ut sine deo commode absolvi possent. Neque etiam in Alcmena aut in Antigona certius licet dicere, quantum dei ad nodum solvendum contulerint. Una autem, Phrixus, sine deo ad exitum perduci non potuit. His ex rebus sequitur, ut in multo maiore parte fabularum argumento perficiendo deus non inserviat atque si, quae facienda sint, edicit, non hac de causa adhibeatur, sed ob alias res efficiendas introductus ex sua ipsius natura praesentes quoque res disponat, quoniam deorum est hominibus imperare.

Sed veras deos introducendi causas spectemus! Clare iam vidimus Euripidem in dis adhibendis antiquiore quadam ratione usum esse. Iam apud Aeschylum deorum erat *αἴτια* institutorum, quae cum argumento tragoediae cohaerebant aut cum eo coniungi potuerunt quaeque deorum voluntate effecta esse credebantur, explicare, cum cultus ritus mores instituerent, nomina deorum voluntate indita referrent, gentes divina providentia procreatas praedicarent. Haec omnia in deorum ex machina Euripideorum orationibus exstare facile aliquis ex iis, quae modo in singulis fabulis recensendis demonstravimus, cognoscat. Neque in parergo, ut ita dicam, apud Euripidem haec afferuntur, sed gravia magnique momenti sunt, cum in nulla omnino fabula defuisse videantur. Nam in omnibus exitibus per deos absolutis, qui adhuc exstant, *αἴτια* insunt eademque in omnibus fere huiusmodi fabulis adhuc non servatis, quatenus de earum finibus aliqua proferre licebat, infuisse magna cum probabilitate suspicari potuimus. Quin etiam in compluribus tragoediis: Iphigenia Taurica, Supplicibus, Ione, Antiopa, Erechtheo *αἴτια* in fine addita quasi fastigium totius dramatis sunt. Unus Albrechtus Dieterich adhuc recte contendit hac in ratione Eu-

ripidem consulto veterem morem tragicum esse imitatum[1]. Praeterea dis tragicis, quippe qui αἴτια explicare solerent, iam Aeschylus utebatur, ut res publicas, quae ipsius poetae temporibus gravi pondere erant, divina voluntate institutas sacraret, eodemque modo apud Euripidem Minerva in Supplicibus foedus Argivorum sancit, quo apud Aeschylum in Eumenidibus. Eiusdem generis est, quod in Electra Euripidea Castores Atheniensium rebus providentes introducuntur.

Neque minus e vetere ratione tragica est ortum, si per deos futura praenuntiantur, praesertim cum hoc modo saepius facillime αἴτια cum argumento cohaerentia potuerint afferri, velut iam Aeschyli Prometheus Vinctus, dum Ionis fata vaticinatur, αἴτια cum iis coniuncta explicat. Ita Euripides quoque plurimis in fabulis, cum αἴτια velit referre, ea per deum vaticinantem facit renuntiata.

Interdum etiam aliam ob rem Euripides per deos in futura tempora animos spectantium convertit, nempe ut res graviter afflictas in futurum tempus feliciores redditum iri demonstret velut in Andromacha, Electra, Helena, Iphigenia Aulidensi, Oresta, Alopa, Erechtheo, Inone, fortasse in Melanippa Philosopha. Sed quoniam religionis atque ideo ludi sacri erat deos non solum bona hominibus condentes eisque in futurum consulentes sed etiam omnino iuste ac sapienter cuncta regentes introducere, cum re modo allata artissime cohaeret, quod Euripides in fine tragoediarum deos, in quos antea gravissime invectus est, purgare solet ac, ne religionem popularem laedat, summam operam impertit. Nam dum futura explicant dei, omnia e fato facta vel summa cum sapientia a superis directa esse praedicant. Eandem rationem etiam in Philocteta a Sophocle adhibitam vidimus (cf. supra p. 51sq.).

Ipsius autem Euripidis haud paulum interesse debebat, in fine tragoediarum deos expressis verbis purgare, nam cum saepe in tragoediis, quae ipse de fabulis ad deos pertinentibus sentiebat professus religionem popularem aggrederetur, cavendum ei erat, ne odium excitaret populi. Ludus enim sacer, qui publici cultus pars erat et in Liberi sacro agebatur, etiam illius temporibus erat tragoedia, qua de causa non defuisse

[1] Apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1272, l. p. 2 l. p. 190.

eos censendum est, quibus, quomodo Euripides fabulas de dis traditas tractaret, summo odio esset[1]. Ideo in fine saltem ludo sacro populique religioni satisfecit, cum ipse finis aptissimus esset, quo, quae antea dicta erant, irrita redderentur. Per se autem intellegi potest, id quod fieri saepius vidimus, hanc deorum in fine purgationem, quae ex ipsius poetae sententia non proferebatur, obiter tantum perfectam esse; quin etiam nonnullis in tragoediis ne in fine quidem omnem dubitationem reprimere potuit Euripides. Haec reputantes multa eorum, quae obiter intuenti vitiosae compositionis videntur esse, rectius cognoscemus et de arte Euripidea iustius iudicabimus. Hanc indolem primus, quantum scio, Lindskog in libro iam saepius laudato nonnullis Euripideis fabulis esse vidit: Orestae, Electrae, Ioni, similia nos invenimus in Hippolyto, Helena, Andromacha, Phrixo, Bellerophonte aliis. Satis memorabile hoc quoque est, qua ratione in Oresta de Helena in fine et in ipsa tragoedia iudicetur. In initio Helena tanto omnibus odio est, ut Menelaus eam media nocte in urbem introducere cogatur (v. 56 sqq.), ne interdiu populus scelestam mulierem lapidibus necet, in fine autem in deorum numerum recipitur cultusque ei instituitur. Quae res inter se contrariae facile componuntur, si Euripidem ipsum Helenam nefastam adulteram duxisse, sed cum dea putaretur, in fine *παλινῳδίαν*, ut ita dicam, eorum, quae antea exposuerat, populari religioni concessisse sumimus. Pari modo in Phrixi fine Ino, quae in ipsa tragoedia scelestissimam se praebuit atque optimo iure capitis damnatur, in deorum numerum recepta esse videtur. Neque ipsos veteres effugisse Euripidem de dis atque religione plane aliter in exitu fabularum iudicasse atque in ipsis tragoediis luculenter iis demonstratur, quae apud

[1] Cf. Aristoph. Ran. 889 sqq., ubi Euripides ut homo, qui plane iam a vera pietate et prisca religione defecit, ne per deos, qui publice colebantur, iuret, recusat atque novos deos ipse sibi conficit. Idem igitur hoc loco Euripidi exprobratur, propter quod Socrates *ἀσεβείας* est accusatus. Nam hunc quoque arguebant *οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζειν, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν* (Xen. memor. I 1, 1). Etiam ea, quae supra p. 95 sq. de Euripidis Bellerophonte et Ixione exhibui, demonstrant multis pro improbo Euripidem fuisse. Nam de impio tantum homine huius speciei fabellae fiunt.

Senecam de Bellerophonte, apud Plutarchum de Ixione traduntur (cf. supra p. 95 sq.; Lindskogium l. l. p. 67 sq.).

Duobus igitur officiis deos, qui in finibus fabularum Euripidis intercedunt, praecipue fungentes invenimus, cum aut αἴτια cum argumentis cohaerentia exitibus inserant aut deorum fatique consilia purgent. Atque, ut haec ipsa efficiantur, futurae quoque agentium sortes referuntur. Nam si quis ea, quae apud Euripidem dei ex machina aut imperantes aut vaticinantes proferunt, perlustrabit, eum effugere non poterit omnia fere referri, ut aut αἴτια explicentur aut, cum res in futurum tempus ad melius conversum iri doceatur, di iusti ac sapientes demonstrentur. Pauca inveniuntur, quae nulla alia ratione respecta addantur, ut futurae agentium sortes quam accuratissime renuntientur. Sic in Antiopa Zetho et Amphioni narratur, quas mulieres in matrimonium sint ducturi. Ex reliquis autem — et haec sunt longe plurima — elucet, quam falso viri docti velut Schrader, Décharme et aliquatenus Lindskog contenderint ea de causa Euripidem deis usum esse, ut futuras agentium sortes praediceret. Immo non ut haec ipsa fata explicaret, Euripides futura solebat renuntiare sed ut alias res finibus tragoediarum insereret, quae eo facillime poterant commemorari, quod fata illa afferebantur. Hoc in numero αἴτια illa deorumque purgationem esse iam monuimus. Uno autem loco, qui et ipse optime sententiam illam, quam egomet protuli, confirmat, alia de causa futura enarrantur. In Electra enim praenuntiatur Clytaemestram a Menelao, ab Argivis Aegisthum sepultum iri. Tantum ergo intererat Euripidis explicare, quale funus illis esset futurum? Immo hac re usus est, ut Helenae fabulae mentionem inserere posset. Cumque ita Euripides non id imprimis spectaverit, ut futura agentium fata edoceret, corruit etiam alia sententia, quam Schrader proposuit. Is, cum illis temporibus iam non trilogiae, sed singulae tragoediae actae essent, deis usum esse Euripidem contendit, quod una tragoedia totum argumentum explicari non posset. Per deos igitur in finibus reliquas res eum addidisse. Improbatur autem haec sententia vel eo, quod in plerisque deorum orationibus non exstant, quae argumentum sequenti tragoediae sufficiens praebeant. An poeta aliquis

fabulam conscripserit ex iis, quae in Iphigenia Taurica, Hippolyto, Andromacha, Helena, Supplicibus, Antiopa di protulerunt?

Sed breviter, quae adhuc cognovimus quaeque ex iis sequi putem, comprehendam.

Duabus praecipue de causis Euripides deos in finibus adhibuit: primum enim vetustiorem ludi sacri rationem consulto imitatus deos αἴτια cultuum, morum, rerum divina voluntate effectarum condentes vel explicantes, res ab hominibus institutas divina auctoritate sancientes, singulis hominibus et rebus publicis benigne providentes monstrare studuit, deinde eo, quod per ipsos deos fati deorumque consilia purgavit et opprobria dis obiecta refutavit, publicae Atheniensium religioni satisfecit animosque spectantium ab iis, quae antea dis et populari religioni exprobravit, revocavit. Quibus factis tragoedias ad religionem et pietatem deduxit atque cum sacris fabulis et institutis, quae cum argumento cohaerebant, sollemni ratione coniunxit[1]. Itaque Euripides deis, quibus iam non ut priore aetate Aeschylus in ipsis tragoediis partes tribuere solebat, fines tantum (et, ut paulo post videbimus, interdum prologos) concessit atque per deos in ipsis exitibus introductos totas tragoedias finibus splendidis et religiosis exornavit.

Videtur autem Euripides hunc morem sibi confecisse et quod haud paucis bene placuit, qua de re postea disserendum erit, et, id quod supra iam demonstravi, certe eo quoque commotus, quod in fine saltem ludo sacro populique religioni aliquatenus satisfaciendum sibi esse videbat. Neque potest negari in nonnullis fabulis huiusmodi exitu aptiorem inveniri non posse velut in Iphigenia Taurica, Bacchis, Supplicibus, Hippolyto, quae fabulae, ut antea in singulis tragoediis explicavimus, optime per deum absolvuntur. Sed non modo in talibus fabulis Euripides deos introduxit aut in diversis tragoediis diversis rationibus usus est, immo certum et semper fere eodem modo dispositum morem sibi constituit, quem in maiore tragoediarum parte adhibuit. Nam ex septendecim tragoediis,

[1] Cf. A. Dieterich l. p. 2 l. p. 190, apud Pauly-Wissowam VI 1272.

quae adhuc exstant[1], decem deos in fine praebent[2]. Atque etiamsi in solis quattuordecim[3] perditis tragoediis apparuisse deos demonstrare potuimus, tamen certe in aliquot fabulis aliquando dei in fine exstabant, quorum ne vestigium quidem adhuc potest inveniri (cf. supra p. 84).

Quantum Euripides ad unam formam tragoediarum suarum exitus redegerit, eo praecipue ostenditur, quod certas quoque clausulas sibi confecit, quas compluribus fabulis addere non dubitabat. Sic in Andromacha, Bacchis, Helena, Alcestide et paucis commutatis in Medea hos versus legimus ultimos:

Πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων,
πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός,
τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.

Hi versus, quibus chorus res a dis contra omnem exspectationem directas esse praedicat, primo conscripti videntur esse, ut post inexspectatam dei alicuius ex machina interventionem proponerentur, sicut in Andromacha, Bacchis, Helena, postquam exoravit deus, exstant. Deinde etiam in eas fabulas translati sunt, qui non per deum absolvuntur: Alcestidem et Medeam, quarum haec, ut statim videbimus, si non per deum at tamen *ἀπὸ μηχανῆς* perficitur.

Hac Euripidis clausula in antiquitate ei videntur nisi esse, qui contendebant a tragicis deos adhiberi, ubi divina auctoritate aliquid mirum atque inexspectatum confirmari oporteret, ne quis spectantium, quin id re vera factum esset, dubitaret. Sic legimus in Luciani scholio Philops. 23 (Scholia in Luc. ed. H. Rabe Lipsiae 1906 p. 164, 2 sqq.): *Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς· ἐπὶ τῶν θεάτρων, ἡνίκα τι παράδοξον ἐπιτελεῖσθαι ἔδει καὶ πλέον πίστεως, ἄνωθεν ὑπὲρ τὰς παρ' ἑκάτερα τῆς μέσης τοῦ θεάτρου θύρας . . μηχανῶν δύο μετεωριζομένων ἢ ἐξ ἀρι-*

[1] Si Rhesus fabula spuria, de qua postea erit agendum, excipitur.

[2] Iphigenia Taurica, Hippolytus, Andromacha, Supplices, Ion, Electra, Helena, Iphigenia Aulidensis, Orestes, Bacchae.

[3] Antiopa, Alcmena, Alopa, Antigona, Bellerophonte, Erechtheo, Hippolyto Velato, Hypsipyla, Inone, Melanippis, Meleagro, Phrixo, Danaa.

στερῶν θεοὺς καὶ ἥρωας ἐνεφάνιζε παρευθὺς ὥσπερ λύσιν φέροντας τῶν ἀμηχάνων. καὶ τούτῳ παραδηλουμένου, ὡς οὐ χρὴ ἀπιστεῖν τοῖς δρωμένοις, ἐπεὶ θεὸς πάρεστι τῷ ἔργῳ, ᾧ μηδὲν ἀδύνατον ἐκτελεῖν.

Aliam clausulam in Iphigenia Taurica, Oresta, Phoenissis adhibuit Euripides:

Ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη, τὸν ἐμὸν
βίοτον κατέχοις
καὶ μὴ λήγοις στεφανοῦσα.

Forsitan haec ratio certis verbis drama concludendi ex ritibus quibusdam sacris assumpserit Euripides, in quibus munus religiosum certis semper verbis finiebatur[1]. In tragoedia tales clausulae, ubi saepius adhibebantur, commodum spectatoribus signum erant, quo fabulae finis indicabatur, velut in palliatis Romanorum invenimus *plaudite* vel *plausum date* vel tale quid eidem officio inservientia.

Sed ad ipsos deos redeamus. Qui eis, quae renuntiant, spectantium quoque animos sedatiores reddunt, id quod praecipue in Hippolyto, Andromacha, Iphigenia Aulidensi, Oresta, Melanippa Philosopha, Alopa, Inone, Danaa, aliquatenus etiam in Bellerophonte, Erechtheo, Helena factum esse aut videmus aut probabiliter conicere possumus. Neque tamen hac ipsa de causa di adhibiti sunt; nam in ceteris tragoediis, ubi apparent, animos pacare omnino opus non est, in Hecuba autem et in Troadibus, quibus quis fortasse accommodatum putaverit per deum hoc exsequi, id Euripides neque sibi proposuit neque effecit. Tum etiam in plurimis earum, quas modo attuli, tragoediarum unum esse videmus animos spectantium pacare et spectantes a deorum crudelitate revocare i. e. ludi sacri postulatis satisfacere. Ergo quod iis, quae in fine renuntiant dei, spectatores gravibus ipsius tragoediae calamitatibus afflicti pacatiores redduntur, hoc *ἐν παρέργῳ* efficitur, non hac ipsa de causa deus adhibetur.

Certe autem id conici potest Euripidem ideo quoque toties deos introduxisse, quod apparatu splendoreque scenico animos

[1] Cf., quae praebet R. Wuensch *Archiv für Religionswissenschaft* VII (1904) 111 sq.

spectantium commovere summopere studebat, id quod iam veteres cognoverunt (cf. supra p. 86). Hoc primus recte Kuhlenbeck vidit[1] ipsique splendidum apparatum scenicum praecipue in Alcmenae fine invenimus.

Maiori autem parti Atheniensium talem tragoediarum exitum non displicuisse et eo demonstratur, quod toties adhiberi potuit[2] et quod ipse Sophocles in Philocteta nonnullisque fabulis adhuc non servatis eum imitatus est. Hic enim, qui fabulas ἐξ αὐτῶν τῶν μύθων deo in fine non introducto absolvere consuevit et cui neque, ut nodus solveretur, neque, ut religioni satisfieret, deo opus erat, si interdum deos in fine adhibuit, hoc Euripidem imitatus fecisse eo magis videtur, quod ratio, qua Hercules in Philocteta introducitur, plane consentit cum certa illa ratione Euripidea. Ad fabulam enim absolvendam deo in Philocteta non magis opus est quam in plurimis fabulis Euripideis, sed intervenit Hercules, ut omnia ad bonum exitum perduci demonstret, deos fatumque purget, αἴτιον cum argumento coniungat. Atque licet nesciamus, quibus annis fabulae Sophoclis adhuc non exstantes, in quibus θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς apparuerent, actae sint, Philoctetam anno 409 datam esse ex hypothesi constat, eo igitur tempore, cum iam viginti fere annos (cf. supra p. 82) Euripides deis in exitibus utebatur. Etiam inde apparet Sophoclem Euripideam rationem imitatum esse in Philocteta.

Sed non deos tantum in finibus ἀπὸ μηχανῆς Euripides introduxit, verum unam fabulam, Medeam, sine deo tamen per machinam absolvit. In hac enim curru a Sole deo dato Medea, postquam socerum sponsam liberos Iasonis necavit, per aerem ad Aegeum fugit[3]. Quem exitum iam Aristoteles

---

[1] *Der deus ex machina in der griechischen Tragoedie, Gymnasial-Programm Osnabrueck* 1874.

[2] Etiam Aristophanes in Ranis, qua in fabula omni modo studet demonstrare tragicam artem ab Euripide pessum datam esse, ne uno quidem verbo deos ex machina aggreditur.

[3] Haec res certe affirmatur hypothesi et scholiis ad v. 1317 et 1320 (Schwartz), quibuscum consentit Aristoteles in arte poetica c. 15 p. 1454 B. Quibus veterum testimoniis multo plus fidei tribuo, quam eis, quae in aliam partem disputavit Bethe l. p. 3 l. p. 143 sqq.

in arte poetica c. 15 vituperavit, cum non per machinam sed ex ipso argumento fabulae essent absolvendae. Et re vera paucis commutatis Medeae argumentum secundum humanam rationem ad exitum perduci potuit. Nam Euripides, etsi consulto Aegeum recusantem fecit, ne Medeae fugam adiuvaret, eam ob rem, ut, quanta erga Corinthios fide Athenienses antiquis temporibus fuerint, demonstraretur, tamen Medeam, antequam ad crudelia sua consilia perficienda accederet, vario modo fugam parantem fingere potuit, id quod ipsum Euripidem non effugisse versibus 1122 sq. ostenditur, quibus rege filiaque necatis servus Medeam ad fugam excitat. Neque quisquam, si nuntio de morte illorum allato Medeam nulla mora interposita filios trucidantem fecisset, fugam iam antea paratam effici non posse putaret. Iason autem, ut Medeam ulcisceretur, reversus eam iam non inveniret. Quae cum ita sint, Euripidem, quia machina non usus argumentum perficere non potuerit, ad divinum auxilium confugisse falso contendat aliquis.

Immo usus videtur esse machina, cum et splendidum apparatum scenicum praebere vellet, et praecipue, quod illo loco ad animos spectantium commovendos aptissimo carere noluit, quo Medea feroci gaudio inflammata Iasonis luctu et lamentationibus delectatur ac ne filiorum quidem funeris eum participem esse sinit. Praeterea Medea propriis dei ex machina officiis functa et, quae postea sint futura, renuntiat et, ut est divinatione praedita, Iasonis mortem vaticinatur. Atque etiam *αἴτιον* affert tragicorum more deorum, cum ad nefastam filiorum necem expiandam festa et sacrificia Corinthi instituturam se esse contendat, quo facto ex usitata Euripidis ratione ad religionem convertitur tragoedia.

Similiter, atque per deos *αἴτια* exitui fabularum inseruit Euripides in tribus fabulis adhuc servatis, in Heraclidis, Phoenissis, Hecuba oracula adhibuit. In Heraclidis v. 1026 sqq. Eurystheus sepulcrum suum Atheniensibus in Doricis bellis tutelam fore ex Apollinis oraculo confirmat, in Phoenissis Oedipus eiusdem dei oraculo sibi nuntiatum esse refert Coloni, in vico Attico, se esse moriturum v. 1703 sqq.[1], quae res nullam

[1] De eadem re a Sophocle in Oedipo Coloneo tractata cf. A. Dieterich l. p. 2 l. p. 189.

aliam ob causam adduntur, nisi ut sacrorum *αἴτια* cum fabula coniungantur. Alia autem ratione commotus Euripides in Hecuba Polymestorem ex Liberi oraculo renuntiantem facit Hecubam in canem commutatam in mare se esse deiecturam (*αἴτιον κυνὸς σήματος* v. 1273) atque Cassandrae et Agamemnoni Argis miserrimam mortem impendere (1259—1281), cum Polymestorem crudeliter occaecatum ea saltem ratione ultionem sibi parantem faceret, ut etiam Hecubae et Agamemnoni crudeles sortes esse futuras nuntiaret.

Ex perditis fabulis huc referendae sunt Alcmeo *ὁ διὰ Κορίνθου* et Archelaus, fortasse etiam Auga.

In Alcmeone, cuius argumentum Apollodorus III 94 sq., TGF p. 380 ipso Euripidis nomine addito praebet, oraculum Apollinis erat allatum, quo Amphilocho, Alcmeonis filio, ut *Ἄργος Ἀμφιλοχικόν* conderet, imperatum est. Archelai argumentum ab Hygino fab. 219, TGF p. 427 praeberi Welcker *Griech. Trag.* II 698 sqq. collatis fragmentis Euripideis demonstravit. In fine autem Hygini fabulae legimus Archelaum *ex responso Apollinis in Macedoniam capra duce* profugisse *oppidumque ex nomine caprae Aegeas* condidisse. Euripides igitur in fine eius fabulae, quam, ut Macedonum reges celebraret, conscripsit[1], oraculo futuram Archelai generis gloriam exposuit et *αἴτιον* Aegarum, capitis Macedoniae, addidit. Hartung autem Eur. Restit. II 564 ex mera opinatione Herculem in fine *ἀπὸ μηχανῆς* introductum esse contendit. Augae argumentum servatum esse a Mose Chorenensi Progymn. lib. III exempl. 3, qui Graecos poetas se esse secutum ipse profitetur, coniecit de Wilamowitz Anal. Eurip. p. 189, TGF p. 436 sq. Ille in argumenti fine addit: *Praeterea dicitur Theutras ex oraculo Apollinis Augeam deinde uxorem duxisse Telephumque in filii loco habuisse.* Haec apud Euripidem exstare, sed etiam aliunde sumi potuerunt, id quod vocabulum *praeterea* indicare videtur.

Sed ad finem iam perduximus, quae de rationibus, quibus Euripides in finibus dramatum per deos vel similiter per oracula confectis usus est, proponere licebat. Nunc ad initia

[1] Cf. vitam Euripidis Westerm. Biogr. p. 134, 21 sqq.

fabularum transeamus, cum in his quoque, etsi non tam saepe quam in exitibus, deos Euripides introduxerit, ut prologum referrent. Hoc officio funguntur in servatis fabulis Venus in Hippolyto, Mercurius in Ione, Liber in Bacchis, duo dei in Alcestide et in Troadibus, cum in illa fabula Apollo et Thanatos, in hac Neptunus et Minerva ab initio prodeant. In Hecuba Polydori umbra, persona divinitate quadam praedita (cf. supra p. 46), introducitur.

Prologorum [1] autem dei a dis in finibus apparentibus satis diversi sunt, neque ut illi semper ea de causa adhibentur, ut religione imbuant et cum religione coniungant tragoediam, sed hoc rarius tantum fit. Saepius inducuntur, ut quam commodissime res ante ipsam fabulam gestas spectantibus proponant. Per deos enim, qui omnia sciunt, etiam ea explicari possunt, quae homines in fabulis prodeuntes ignorant. Interdum etiam aliis de causis, de quibus statim acturus sum, Euripidi aptissimum videbatur deo alicui prologum tribuere.

Cum religione ex dis, qui in prologis apparent, maxime Neptuni et Minervae in Troadibus, Liberi in Bacchis, Veneris in Hippolyto partes cohaerent.

In Troadibus, ut res antecedentes exponantur, deis opus non est, cum et Troadum et Graecorum aliquis prologi munere fungi potuerit. Sed tota haec fabula quodammodo θρῆνος in miseram illam Troianorum urbem confectus est, atque ipse Euripides Troica bella iniusta et vesana videtur iudicasse, cum unam ob mulierem tota urbs totque homines in perniciem adducti esse traderentur [2]. Hac autem in fabula non modo in ea, quae de Troicis rebus vulgo credebantur, invehitur, verum etiam in universum monet, ne temere bella et caedes moveantur, quibus expositis perniciosam illam expeditionem Siciliensem gravissime improbat, quam tunc Athenienses erant facturi [3]. Propterea ab initio huius dramatis

[1] De prologis Euripideis in universum optime disseruit A. Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1271 sq., qui etiam libros huc pertinentes affert. De ipsis deorum in prologis partibus, quantum scio, dissertatio adhuc non exstat. Quod autem comoediarum apud Graecos et Romanos attinet prologos, qui et ipsi ex Euripidea prologorum ratione exorti sunt, conferendus est F. Leo *Plautinische Forschungen*, *Berlin* 1895 p. 170 sqq. [2] Cf. Androm. 605 sqq., Hel. 80 sqq.

[3] Haec optime demonstravit Hugo Steiger Phil. LIX (1900) 362 sqq.

ipsos deos crudelia bella detestantes (25—27, 95—97) et victoribus impiis perniciem parantes (65—94) introduxit. Neptunus igitur, cui illae de Troiae interitu lamentationes tributae sunt, quae ipse poeta de rebus publicis sentiat, profert sicut Minerva in Aeschyli Eumenidibus et in Supplicibus ipsius Euripidis. Atque triste gravissimumque vaticinium Euripides Neptuni ore usus Atheniensibus periculosa bella moventibus portendit 95 sqq.:

> *Μῶρος δὲ θνητῶν ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις,*
> *ναούς τε τύμβους θ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων*
> *ἐρημίᾳ δοὺς αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.*

Minerva autem, quamquam et ipsa eum praecipue ad finem introducta est, ut calamitates victoribus impendentes proponerentur, tamen ea quoque ratione adhibetur, ut ex ipsius Neptunique verbis subaudiatur eius accusatio, quae divina caedium Troianarum auctor habebatur[1]. *Αἴτιον* quoque insertum est equi lignei (13 sq.).

In Bacchis Thebanorum aliquis velut ipse Pentheus enarrare potuit per deum peregrinum, qui Semelae diceretur filius, mulieres Thebanas in furorem coniectas esse, regem autem vi et armis repressurum esse cultum vesanum. Sed multo gravius et huic ipsi fabulae aptius est, quod ipse deus potentiam suam praedicans (13—38) Thebanos se esse coacturum contendit, ut deum se esse cultuque celebrandum consentiant (39—52). Tum a solo deo in prologo renuntiari potuit humana specie indutum se in scenam esse prodituram.

In Baccharum igitur prologo deus non modo aptissimus sed etiam necessarius est. In Hippolyto autem, quamquam Phaedrae amores omnibus ignotos esse ex sequentium actuum compositione postulabatur, tamen ipsi Phaedrae prologus tribui poterat. Sed fortasse a principio Phaedram purgare voluit

---

Nimia fortasse neque satis rei umbilicum attingentia Dieterich proposuit apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1269: *Die troische Trilogie 415 ist erklärlich in völligster Verzweiflung an allen irdischen Hoffnungen gedichtet, eine Tragödie des letzten Gerichts über alles Griechentum.* Hoc loco verbo tantum moneam Lindskogium l. l. p. 141 sqq. etsi dubitantem prologos Troadum et Ionis ut spurios in suspicionem vocasse; sed adeo certis fundamentis caret haec sententia, ut de ea disputare non oporteat.

[1] Cf. U. de Wilamowitz *Übers. griech. Trag.* III 263 sq.

Euripides, cum ipsam Venerem induceret, qui eius amore Hippolytum esse puniendum contendit[1]. Venus autem expressis verbis poena Hippolytum dignum esse affirmat, quod verecundiam ipsi debitam non praebuerit (1—23) ac ne Phaedrae quidem esse parcendum, ut ille supplicia det (47—50). Quibus expositis quodammodo etiam Venus in prologo purgatur, sicut in exitu tragoediarum dei excusari solent, et si ex ipsa Euripidis sententia haec prolata non esse ipse exitus demonstrat (cf. supra p. 67), tamen ludi sacri rationi satisfit. *Αἴτιον* quoque templi Veneris prope Acropolin siti insertum est prologo (30 sqq.)[2]. Sed etiam finis fabulae clare praenuntiatur (43—46), quae ratio per se satis mirabilis est, cum, si finis fabulae iam ab initio proponitur, audientium exspectatio imminuatur. Tamen in aliarum quoque fabularum prologis idem reperiemus.

Sic in Hecubae prologo, quamquam et Troadum et Graecorum aliquis res ante ipsam fabulam gestas exponere potuit, clare ea de causa Polydori umbra adhibetur, ut ex initio spectatores sciant, quo totum tragoediae argumentum tendat. Ideo praenuntiatur fore, ut uno illo die Hecuba duos liberos sepeliat.

In Ione res fabulae antecendentes aptissime a Mercurio vel Apolline referri vix quisquam negabit, cum nemo mortalium Ionis fata tam luculenter fuseque potuerit explicare quam Euripides in prologis hoc facere consuevit. Praeterea Apollinem omnia summa cum sapientia ad bonum exitum esse perducturum affirmatur (67 sq.), ita ut etiam hoc loco deorum facta purgentur. Tum, ut bis iam invenimus, fabulae finis praenuntiatur v. 69 sqq., quo loco idem Ionum *αἴτιον* additur, quod in fine accuratius per Minervam explicatur (74 sq.).

In Alcestide autem, in qua aut Admetus aut servorum aliquis res ante fabulam actas edocere potuit, ideo poeta Apollini et Thanato prologum videtur tribuisse, quod Apollo valde Admeto favebat eique dedit facultatem, ut alterius morte ipse vitam servare posset. Mirum igitur fuisset, si ille deus in summo rerum discrimine eum, quem imprimis diligebat,

[1] Legitur in argumento de Phaedra: *Ἀκόλαστος οὖσα, πληροῦσα δὲ Ἀφροδίτης μῆνιν.*

[2] Hoc de templo conferendus est W. Judeich *Topographie von Athen*, *München* 1905 p. 289 sq.

plane deseruisset. Itaque ipse Apollo Thanaton, ut Admeto parcat, conatur exorare, sicut in Hippolyto eam saltem operam Diana Hippolyti gratia impertit, quam fata ei concesserunt. Praeterea in Alcestide quoque prologi deo utitur Euripides, ut finem fabulae praenuntiet (64—69).

E fragmentis de partibus deorum in prologis introductorum nihil certi elucet, praeterquam quod in Alcmena Mercurio prologi partes tributas fuisse conatus sum demonstrare. Eadem autem de causa atque in Ione hoc factum esse videtur, cum solus deus res ante fabulam gestas accurate enarrare posset (cf. supra p. 87).

Ludi igitur sacri in dis adhibendis ratio etiam ad prologorum deos pertinet, cum per eos dei purgentur et deorum vis praedicetur, id quod in Hippolyto, Ione, Bacchis videmus, atque *αἴτια* afferantur, qualia insunt in Hippolyti, Ionis, Troadum prologis. Sed haec ipsa *αἴτια* in prologorum deis tanti momenti esse non poterant quanti in eis, qui in finibus interveniunt, cum per ipsam rei naturam in ludo sacro ea, quae religionem spectant, atque in his etiam *αἴτια* sollemniter explicata, in fine tamquam fastigium totius fabulae aptissime afferantur, cum prologi autem natura per se nihil commune habeant. Huc accedit, quod plurima *αἴτια* bis fuissent referenda, si etiam in prologis explicata essent. Publicae quoque res ex usitato more tragico attinguntur per deos in Troadum prologo.

Deinde autem di initio ingredientes praecipue prologorum muneribus funguntur et adhibentur, ubi res ante fabulam gestae aptissime per deos explicantur.

Tum huismodi deis usus est Euripides, ut singulari illa ratione fines fabularum praenuntiaret. Hoc qua re commotus fecerit, certe affirmare non licet, fortasse autem Lessing, qui *Hamb. Dramat.* c. 49 sq. de prologis Euripideis disseruit, verum invenit, cum proponeret: *Euripides liess seine Zuhörer also ohne Bedenken von der bevorstehenden Handlung eben so viel wissen, als nur immer ein Gott davon wissen konnte, und versprach sich die Rührung, die er hervorbringen wollte, nicht sowohl von dem, was geschehen sollte als von der Art, wie es geschehen sollte*[1].

[1] Dieterich apud Pauly-Wissowam s. v. Euripides VI 1271.

Multo magis igitur prologorum dei toti fabularum compositioni inserviunt quam di in finibus apparentes, qui praecipue ludi sacri postulatis satisfaciunt.

Restat, ut in id quoque accuratius inquiram, ubinam loci prologorum dei prodierint, quos aut in ipsa orchestra aut interdum fortasse *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* apparuisse iam supra p. 63 breviter monui. In universum enim satis mirum est ne uno quidem loco commemorari machina utentes per aerem hos deos advolasse, id quod saepius in *τοῖς ἀπὸ μηχανῆς θεοῖς*, qui in finibus intercedunt, invenimus[1]. Immo semper hi di, si, quomodo prodeant vel exeant, commemorantes inducuntur, simpliciter dicunt *ἥκω* (Ion. 5, Troad. 1, Bacc. 1, Hec. 1) vel *βήσομαι* (Ion. 76, Hippol. 53), vel *χωσήσομαι* (Hec. 52). Prodeunt igitur hi dei vel exeunt, non advolant aut avolant. Atque in eadem orchestra apparere potuerunt, in qua homines prodibant, cum etiam tunc ab hominibus secreti essent. Homines enim his in prologis iam non adsunt, sed cum mortales apparent, statim dei de medio discedunt, ne ab illis videantur (cf. Hec. 52 sqq., Hippol. 51 sqq., Ion. 76 sqq.).

Certe autem in ipsa orchestra prologorum di apparent in Alcestide, Bacchis, Hecuba.

In Alcestide enim ipse Apollo testatur ex Admeti domo se prodire (v. 22 sq.), id quod recte intellegens scholiasta ad v. 1 adnotat: *Ἐξιὼν ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ Ἀδμήτου προλογίζει ὁ Ἀπόλλων*. Hac cum re consentit, quod paulo post Thanatos Apollinem *πρὸς μελάθροις* i. e. ante domum invenit (v. 29), cum dei ex machina vel *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* conspiciantur *ὑπὲρ μελάθρων* (cf. Electr. 1233, Ion. 1549). Videmus igitur hoc in prologo Apollinem ut hominem aliquem ex Admeti domo egressum ante domum cum Thanato, qui nimirum ibidem apparuit, convenisse.

In Bacchis autem Dionysus humana specie indutus producitur (cf. v. 4 sq., 53 sq.), ita ut eum eodem loco quo homines prodiisse per se intellegatur.

In Hecuba Polydori umbra, quae *νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας* (v. 1) relinquens i. e. ex ipsa terra emergens

[1] Cf. Andr. 1227 sqq., Electr. 1233 sqq., Ion. 1549 sqq., Med. 1322 sq. Etiam Perseus in Euripidis Andromeda expressis verbis monet per aerem se advolare (fr. 124 N, Doerpfeld-Reisch *Griech. Theat.* p. 228).

apparet, in terra non *ἐν ὕψει* apte monstratur. Sed etiam certis huius prologi verbis ostenditur, umbram illam eodem atque homines loco esse introductam, cum eam, ut Hecubam ex Agamemnonis tentorio prodeuntem vitet, de medio recedere opus sit (v. 52 sqq.).

Quod autem in Ione Mercurius veritus, ne ab Ione advenienti conspiciatur, dicit (v. 76):

ἀλλ' εἰς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε,

hoc optime explicari potest, si deum intellegimus profitentem in dumetis laureis, quae prope Apollinis templum crescentia ipsis spectantium oculis praebebantur [1], se esse se abditurum. Tum igitur deus ante templum in ipsa terra constitit atque inde, ne videatur, ut homo quidam in virgulta decedit.

Haec cum in fabulis adhuc perlustratis inveniamus, etiam in Hippolyto Venerem, quae eodem modo atque Polydori umbra Hecubam, Mercurius Ionem, ipsa Hippolytum evitatura abit (v. 51 sqq.), fortasse ex orchestra decedentem facere licet, etsi certe negari non potest eam *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* esse monstratam atque inde, cum Hippolytus adveniret, abiisse.

Plane autem nescimus, utrum in Troadibus Neptunus et Minerva in ipsa orchestra an *ἀπὸ τοῦ θεολογείου* [2] apparuerint; utrumque enim fieri potuit.

Apud Sophoclem in Aiacis prologo Minerva introducitur [3], sed, ut omnino Sophoclei prologi longe alio more dispositi sunt atque Euripidei, ita etiam in Aiacis initio nihil Euripideae indolis invenimus. Atque eo quoque differt Minerva Sophoclis a prologorum deis Euripidis, quod multo magis quam haec numina religioni inservit; introducitur enim, ut Aiacem iusto supplicio affectum esse doceat. Sophocli autem opus fuisse in Aiace deo, ut res ad intellegendam fabulam necessariae exponerentur, id quod in Euripidis Bacchis et Ione vidimus, hypothesis auctor contendit falso, ut antea iam demonstravimus (cf. supra p. 49).

[1] Cf. praecipue *δεικτικήν* vocem *τάδε*.

[2] Hoc Reischio magis probabatur (Doerpfeld-Reisch *Griech. Theat.* p 222 sq.), illi sententiae de Wilamowitz videtur se addixisse (*Übersetz. griech. Trag.* III 301).

[3] In ipsa orchestra Minervam apparuisse recte monuit Reisch *Griech. Theat.* p. 220.

In una media fabula, in Hercule Furenti Euripides deos ἀπὸ μηχανῆς [1] introduxit: Iridem et Lyssam. Neque tamen hac de re plura dicere oportet, cum iam pridem Schrader Mus. Rhen. XXIII 117 explicaverit iis opus esse, ut spectatores, qua de causa Hercules insaniret, cognoscerent. Alteri igitur fabulae parti alter prologus additur. Lyssae personam in Bassaridibus etiam Aeschylus adhibuerat (cf. supra p. 19 sq.).

Restat, ut de Rhesi, fabulae ignoti cuiusdam auctoris [2], deis disseramus. Iure appellaverunt viri docti hanc fabulam Iliadis carmen diductum in actus [3], neque igitur mirum est, quod Minerva in media fabula plane epica ratione adhibetur. In Musa autem, quae in fine introducitur, epica et tragica rationes coniunguntur. Minerva enim sicut in Δολωνείᾳ Il. X 507 sqq. Diomedem, ut ad naves proficiscatur, excitat, in Rheso plane heroici carminis more Graecos adiuvat, Paridem prohibet. Musa autem in fine filii corpus aufert, ut immortalem eum reddat, pari modo atque in Aethiopide Thetis Achillis corpus ex rogo rapuit, ut in Leucam insulam transferret (Kinkel epic. graec. fr. p. 34) et in Aeschyli Psychostasia Aurora Memnonis corpus abstulit (cf. supra p. 34 sq.). Neque a carmine heroico abhorret, quod Musa filii sortem deflet, cum etiam Thetis in Iliade saepius (exempli gratia conferas Il. A 414 sqq.) Achillis labores, in Aethiopide (Kinkel l. l.) mortem eius lamentetur. Qua cum Musae lamentatione per se artissime cohaeret Achillis, fortissimi Graecorum, mortis praenuntiatio ab eadem dea edita (976 sqq.), neque hanc rem ad tragicam futurorum explicationem referri opus est. Tragicae autem vel potius Euripideae est rationis, quod per Musam in exitu introductam fabula finitur, quae tamen iam peracta fabula non ad nodum solvendum apparet, cum iam antea consentaneum fuisse se auctore Rhesum non esse necatum ipse Hector v. 952 sq. dicat. Sed etiam αἴτιον cultus Rhesi ex tragico more Musa addit, cum eum ut ἀνθρωποδαίμονα abditum in speluncis Pangaei montis esse moraturum praedicet (970 sqq.) [4].

[1] Ὑπὲρ δόμων in curru advolantes hi dei praebebantur, cf. Reischium l. l. p. 221 sq.

[2] Dieterich apud Pauly-Wissowam VI 1264 sq.

[3] Christ-Schmid *Gesch. der griech. Lit.* p. 357.

[4] Cf. Gruppe *Griechische Mythologie, München* 1906 p. 214.

Conclusio

Iam breviter comprehendamus, quae de Graecorum deorum partibus tragicis a primis tragoediis usque ad finem quinti saeculi invenerimus. Tragici dei, quorum usus ex ipsa ludi sacri ratione ortus est (cf. supra p. 8 sq.), aliter introducuntur atque dei in heroicis carminibus partes agentes, cum in his di similiter atque ipsi homines suis rebus provideant, filiis et amicis faveant, inimicis obstent, tragici autem dei cum religione cohaereant et religioni inserviant. Cum his per ipsam ludi sacri naturam cohaerent *αἴτια* cultuum, rituum, morum, nominum deorum voluntate institutorum vel inditorum, nam in ludo sacro non modo ipsi dei sed etiam ea, quae divina potentia inter homines effecta sunt, celebrantur[1]. Dei igitur, qui agentes in scenam prodeunt, haec ipsa condentes vel vaticinantes introducuntur (cf. supra p. 35—38).

In prioribus tragoediis imprimis Aeschyleis dei sicut ipsae hominum personae non certo tragoediae loco apparebant, sed quibuscunque locis ab argumento postulabantur. Interdum etiam totae tragoediae per solos deos agebantur velut Aeschyli Promethei (cf. supra p. 9—17). Tum Euripides eumque, ut videtur, imitatus Sophocles (cf. supra p. 126) deos ad fines tragoediarum restrinxit atque Euripides interdum etiam prologorum munera dis tribuit (cf. supra p. 128—133). Sophocles in Aiacis initio Minervam introduxit (cf. supra p. 47—49), quae

[1] Sic in mysteriis Eleusiniis Cereri dicatis inter alia etiam de agricultura res erat, quam illa dea instituerat (cf. supra p. 57).

tamen alio modo atque prologorum dei Euripidis apparet (cf. supra p. 134). In una, quantum videmus, media fabula Euripides deos introduxit, in Hercule, sed his eadem fere indoles est atque eis, qui prologi officio funguntur (cf. supra p. 135). Dei igitur, qui in prioribus tragoediis per totum argumentum adhibebantur, in posterioribus ad certos argumenti locos, praecipue ad prologos et fines reprimuntur. Atque ut Aeschyli aetate, si Psychostasiam, qua in fabula ex ipsa argumenti natura dei et homines secerni debebant (cf. supra p. 33), praetermittimus, inter ipsos homines di agentes prodibant, ita posteriore tempore soluta hac arta deorum hominumque consuetudine plerumque in aere ἀπὸ μηχανῆς interveniunt [1]. Videmus igitur magis magisque deorum partes imminui, hominum partes augeri atque ipsos deos eo, quod iam non in scena sed ἀπὸ μηχανῆς introducuntur, ex ipsa tragoedia quodammodo eliminari. In Bacchis autem Euripides antiquiore illa ratione assumpta per totum argumentum Liberum agentem produxit, sed in fine eum novo modo ἀπὸ μηχανῆς in conspectum dedit (cf. supra p. 83 sq.).

In iis, quae proferunt apud Euripidem di in finibus tragoediarum intervenientes et aliquatenus prologorum quoque dei, clare veterem illam ludi sacri rationem cognoscere licet, quam consulto imitatum esse illum poetam apparet (cf. supra p. 119 sq.). Atque ea praecipue de causa adhibentur ab Euripide in fine tragoediarum dei, ut divinis consiliis purgatis populari religioni satisfiat et eo, quod tragoedia cum religione coniungitur, in fine saltem species quaedam ludi sacri efficiatur (cf. supra p. 120—123). Similem indolem Sophoclis dei in finibus prodeuntes praebent, quippe qui hanc rationem ab Euripide susceperit (cf. supra p. 126). Dei autem Euripidei, qui ab initio fabularum intercedunt, etsi in eos quoque huius naturae aliquid transiit, tamen praecipue prologi officio inserviunt (cf. supra p. 132 sq.).

Sed etiam heroici carminis in dis adhibendis mos in tragoedias irrepsit per fabulas scilicet secundum illa carmina compositas, quales di videntur infuisse in Aeschyli fabulis

[1] Cf. Doerpfeld-Reisch l. p. 2 l. p. 224 et quae supra p. 62 sq. explicavi.

„epicis“ (cf. supra p. 26–39), adhuc exstant in Rheso (cf. supra p. 135). Interdum epica et tragica rationes coniunguntur, cuius rei clarum habemus exemplum in Musa Rhesi.

In satyricis fabulis deos invenimus apud Aeschylum (cf. supra p. 44sq.), Sophoclem (p. 58–60), Achaeum (p. 60), apud Euripidem autem de hac re nihil constat. Huiusmodi dei et ipsi quandam tragicorum deorum indolem prae se ferunt, velut *αἴτια* hi quoque explicant (cf. supra p. 45. 61), sed ipsa ludibundae huius poeseos natura ferebat, ut saepius iocoso atque interdum scurrili modo inducerentur. Neque dubitaverunt poetae, his in iocosis dramatibus summos quoque deos apparentes facere (cf. supra p. 59).

Ex tragicis autem minoribus praeter id, quod modo de Achaeo praebui, de tragicorum deorum partibus quicquam cognoscere non licebat.

A Graecis ut totam tragoediam ita etiam deos tragicos susceperunt Romani. Atque si iam Euripidis dei *ἀπὸ μηχανῆς* Atheniensibus certe vel ideo non displicuerunt, quod apparatum scenicum reddebant splendidum (cf. supra p. 125sq.), apud Romanos pompae et spectaculorum amantissimos saepius tragicos poetas deis usos esse certe conici potest, ut animis civium spectandi cupidis satisfacerent. Itaque Plautus in Amphitruone de dis creberrime in tragoediis introductis haec habet v. 41sqq.:

> Ut alios in tragoediis
> Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
> Martem, Bellonam commemorare, quae bona
> Vobis fecissent.

Hoc ex loco duas res satis memorabiles discimus, nempe Romanos praeter deos a Graecis assumptos etiam suos velut Virtutem et Bellonam introduxisse deosque Romanis rebus providentes fecisse, sicut etiam Castores in Euripidis Electra Athenis prospiciunt (cf. supra p. 72). Ceterum Plautus hoc loco, quamquam de tragoediis loquitur, tamen praecipue praetextas fabulas videtur spectare, quoniam verisimile est Romanorum deos introductos esse, ubi Romanae res tractabantur. Tum ad prologos imprimis hoc probabiliter referamus, cum

Mercurius, qui apud Plautum haec profert, prologi munere fungatur[1].

In fragmentis tragicorum Romanorum a Ribbeckio in tertia editione collatis, e quibus sequentia, quae afferam, desumpsi, pauca deorum in Romanorum tragoediis adhibitorum vestigia exstant. In Naevi tamen Lycurgo l. l. p. 10 sqq. Liberum apparuisse certa est coniectura, sicut etiam Bacchae hac in fabula prodierunt in scenam (fr. IX). Tum ex incerta Enni fabula, ut videtur, ex Eumenidibus Apollinis verba servata sunt (fr. XIX)[2], atque in fragmentis incertorum poetarum, quae ex fabulis quoque incertis allata sunt, fr. XXXVIII umbra ex Orco reversa, fr. CLIV B Mars et Hercules litigantes introducuntur. Praeterea probabiliter statuere licet Pacuvium in Antiopa deo prologi partes tribuisse. Recte enim Buecheler ex loco quodam Probi (in Verg. ecl. II 23, Thilo-Hagen in Appendice Serviana p. 329) hunc prologi versum illius tragoediae videtur eruisse (Ribbeck l. l. Pac. fr. I):

Iovis ex Antiopa Nyctei nati ⟨duo⟩,

quae verba certe a deo aliquo dicta sunt. Ipsi enim Antiopae tribui nequeunt, neque alius quidam homo breviter commemorare potuit Antiopae et Iovis filios duos fuisse, sed longius debuit edocere, qua ratione hoc comperisset. Pacuvius igitur deum eo dramatis loco adhibuit, quo apud Euripidem, cuius Antiopam secutus esse videtur[3], pastorem res ante fabulam gestas explicantem invenit (cf. supra p. 80). Videtur autem hac in fabula Pacuviana Mercurius apparuisse, cum Iovis famulus aptissimus sit, qui de Iovis amoribus verba faciat[4].

Reliquiae igitur partium, quibus apud vetustiores Romanorum tragicos di fungebantur, satis exiles sunt, ita ut

---

[1] Cf. etiam Leonem *Plaut. Forsch.* p. 192 sq.

[2] Vahlen, Ennianae poeseos reliquae[2] p. 141 sq.

[3] Hoc vel inde licet conicere, quod aliam tragici cuiusdam Graeci Antiopam haud novimus, et praeterea bis commemoratur res easdem et in Pacuvii et in Euripidis Antiopa infuisse (Prob. l. supra in contextu l., Cic. de inv. I 50, 94). Etiam ipse Cicero de fin. I 2, 4 videtur indicare Pacuvium Euripidis Antiopam esse imitatum.

[4] Cf. Plauti Amphitruonem et quae ipse ad Alcmenam Euripidis supra . 87 adnotavi.

accurate demonstrare non liceat, qua ratione illi Romanorum tragici formas a Graecis susceptas adhibuerint. Sed in Senecae tragoediis posteriore aetate confectis adhuc exstant deorum orationes. Namque in Hercule Iuno, in Agamemnone umbra Thyestae, in Thyesta Tantali umbra et Furia prologos explicant. Prologorum igitur deos ab Euripide Seneca recepit et sicut ipse Euripides (cf. supra p. 129) modo uni, modo duobus dis prologos tribuit. Deos autem in fine ab Euripide introductos ita repudiavit Seneca, ut etiam in Phaedra fabula secundum Hippolytum Euripidis confecta deum in fine vitaret. Atque in Medeae fine ipsam Medeam ut Euripides per aerem facit aufugientem (v. 1020 sqq.), ea autem, quae apud Euripidem Medea deorum in finibus officio fungens de rebus futuris et sacris Corinthiis praebet (cf. supra p. 127), plane omittit. In hoc autem etiam deos prologorum non ex ratione Euripidea Seneca adhibuit, quod eos non praecipue res ante fabulam actas fusius explicantes sed ut ceteras fabularum suarum personas rhetorice declamantes fecit. Atque, si apud Euripidem in prologorum deis rudimenta saltem veteris ludi sacri invenimus, huius rei ne vestigium quidem iam exstat apud Senecam.

I

Index nominum deorum et heroum

Achilles p. 26—34. 36. 37. 54. 55. 58. 68. 74. 135
Actaeon 21. 46
Admetus 131—133
Adrastus 6. 69
Aeetes 114
Aegeus 126. 127
Aegisthus 71. 122
Aegypti filii 25
Aeolus Hellenis f. 71. 101. 102
Aeolus Melanippae f. 105. 107
Agamemno 28. 47. 54. 55. 73. 75. 128. 134
Agaua 83. 84. 110
Aiax 30. 47—49. 134
Alcinous 40
Alcmena 85. 87
Alopa 87. 88
Althaea 108
Amor 2. 117
Amphiaraus 99. 100
Amphidromus 18
Amphilochus 128
Amphio 43. 44. 75—80. 122
Amphitruo 85. 87
Andromacha 68
Andromeda 53. 54. 116. 117
Antigona 89–93
Antiopa 75. 76. 139
Apollo 1. 4—6. 8. 16. 29. 34. 38. 65. 68—71. 76. 80. 81. 83. 89. 97. 113. 115. 12(—129. 131—134. 139
Archelaus 128
Archemorus 99
Argia 89. 90
Argonautae 39—41
Argus 58
Asopus 23
Atalanta 107. 108
Athamas 109—113
Atlantides 32. 45
Atlas 16
Auga 87. 128
Aurora 31—34. 135

Bacchus v. Liber
Bellerophon 94—96
Bellona 138
Bia 18
Boeotus 105. 107
Boreas 41

Cabiri 40
Cadmus 84
Cassandra 128
Cassiopeia 52. 53. 116
Castores 68. 71—73. 120. 138
Cedalio 60
Celeus 56. 57
Cepheus 52–54. 117
Cercyo 87. 88
Ceres 2. 8. 55–57. 136
Charnabon 55—57
Charon 60
Chiro 10. 101—103
Clytaemestra 68. 71. 88. 122
Cratos 14. 18
Creon 89. 91—93
Creusa 69—71

Cupido v. Amor
Curetes 45

Danaa 118
Danaus 25
Deianira 55. 108
Deioneus 22
Diana 21. 55. 64—68. 74. 102. 106. 132
Diomedes 49. 50. 135
Dionysus v. Liber
Dirca 75. 77. 79. 88. 110
Dorus 71

Electra 71. 80. 82
Eleusinus 56. 57
Epaphus 17
Epigoni 69
Epopeus 75
Erechtheus 97. 98
Eumenides v. Furiae
Eumolpus 97. 98
Euneus 99. 100
Europa 52
Eurydica, Lycurgi uxor 99. 100
Eurystheus 127

Furia 108. 141
Furiae 1. 4—8. 65. 76

Gaea 9
Gigantes 14
Glaucus deus marinus 44. 45
Glaucus Lycius 96
Gorge 55
Gorgones 52

Haemon 89—94
Harmonia 84
Hector 28. 31. 135
Hecuba 128. 131. 134
Helena 68. 73. 80—83. 113. 115. 117. 121
Helenus 68
Heliades 41
Helle 113—115
Hellen 71
Hercules 9. 10. 14. 47. 49—51. 53. 61. 87. 90. 91. 93. 108. 126. 128. 135. 139.
Hermiona 76. 80. 81
Hesperidae 9
Hippa 101—105. 107. 116
Hippolytus 66—68. 88. 131. 132. 134
Hippothon 88
Hyades 85. 97. 116
Hypermestra 25. 26
Hypsipyla 40. 98—100

Iason 40. 99. 126. 127
Inachus 1. 59
Ino 108—115. 121
Io 1. 17. 26. 58. 103. 120
Ion 69—71. 134
Iphigenia 65. 73. 74
Iris 43. 59—61. 135
Iuno 22. 23. 38. 58. 59. 113. 140
Iuppiter 1. 9. 10. 13 17. 22. 23. 31—34. 42-44. 48 51. 58. 59. 68. 70. 75 77—79. 85—87. 93. 94. 103. 118. 139
Ixion 22. 23. 46

Learchus 109. 113
Liber 2. 3. 17. 18. 20. 21. 35. 37. 38. 44. 57. 60. 83. 84. 93. 100. 110. 111—114. 120. 128. 129. 133. 137. 139
Lycurgus, rex Nemeae 99—101
Lycurgus Thrax 20. 21. 35. 46
Lycus 75. 76. 78—80. 93
Lynceus 25. 26
Lyssa 18—20. 108. 135

Maeon 89—93
Mars 60. 77. 138. 139
Medea 126. 127. 140
Megara 90
Melanippa 85. 101—105. 107
Melanippus 108
Meleager 55. 107. 108
Meleagrides 55. 108
Melicertes 99. 109. 111—115
Memno 31—34. 135
Menelaus 47. 72. 73. 80—82. 115. 121. 122
Mercurius 15. 28. 29. 31. 32. 44. 53. 54. 58. 59. 61. 75. 78. 79. 87. 93. 94. 117. 118. 129. 131. 132. 134. 139

Metapontus 105—107
Minerva 1. 4—8. 11. 12. 32—34. 37. 47—50. 53. 54. 59. 64-66. 69—71. 89. 94. 95. 98. 116. 118. 120. 129—131. 134. 135. 136
Molossus 68
Momus 60
Musa 135. 138
Musae 57. 58

Nebula 113—115
Neoptolemus 49. 51. 68. 76. 82. 88
Neptunus 36. 39. 52. 53. 70. 88. 89. 97. 98. 101. 102. 104. 105. 107. 112. 129. 130. 134. 138
Nereides 27—29. 52—54
Nycteus 75. 139

Oceanus 1. 9
Oedipus 127
Oeneus 108
Opheltes 99
Orestes 1. 4—6. 12. 65. 66. 71. 76. 80. 82. 83
Orion 60
Orithyia 41

Palici 41—43
Pandora 60
Paris 59. 117. 135
Patroclus 26
Pelasgus 25
Peleus 40. 68
Pentheus 3. 19. 20. 35. 46. 83. 130
Perseus 52—54. 116—118
Phaeaces 40
Phaedra 66. 130. 131
Phaethon 41
Philoctetes 49—51
Phorcides 52
Phrixus 113—115
Pluto 58
Polydorus 129. 131. 133
Polymestor 128
Polynices 89. 90. 92. 94
Polyxena 58
Priamus 28. 29
Prometheus 9—16. 26. 35. 120
Pylades 71. 82

Rhea 17
Rhesus 135

Saturnus 42. 43
Semele 17
Sisyphus 23. 46
Sol 41. 60. 93. 126
Suadela 117

Tantalus 78. 140
Tecmessa 47. 49
Telephus 128
Teucrus 47
Thamyras 57
Thanatos 129. 131—133
Theano 105. 110
Themisto 109—111
Theoclymenus 73
Theonoa 72. 73
Theseus 66. 69. 88
Thetis 26—34. 36. 38. 40. 54. 55. 61. 68. 135
Theutras 128
Thoas Iasonis f. 99
Thoas Lemnius 99
Thoas rex Taurorum 65
Thyestes 140
Titanes 9. 11. 16
Triptolemus 55—57
Tydeus 103
Tyndarus 80. 81
Typho 16

Ulixes 30. 40. 47—50. 54. 55

Venus 24—26. 35. 37. 59. 67. 95. 117. 129. 131. 134
Victoria 125. 138
Virtus 138
Vulcanus 11. 27. 28. 40. 52. 60

Xuthus 69. 71

Zethus 75—80. 122

II

Index fabularum

Achaei Aethon p. 60
Hephaestus Satyricus 60
Iris Satyri 60
Momus 60

Aeschyli Aegyptii 24
Aetnae 41—43
Armorum iudicium 26. 29—31
Bacchae 19. 20
Bassarides 20. 21. 135
Cabiri 39–41
Choephoroe 21
Danaides 24—26. 35. 36. 38. 46
Edoni 20. 21
Eumenides 1. 3—8. 11. 12. 15—17. 21. 23. 34. 40. 42. 46. 63—65. 69. 72. 120. 130
Glaucus Pontius 44. 45
Potnieus 44
Heliades 41
Ixion 22
⟨*Λητίδες*⟩ 29. 30. 36. 39
Lycurgia 20. 21
Lycurgus Satyricus 20
Memno 29. 32
Myrmidones 26. 27
Neanisci 18. 20
Nereides 26—29
Nioba 43. 44

Aeschyli Orithyia 41
Pentheus 19. 20
Perrhaebides 22. 23
Persae 44. 46
Philoctetes 50
Phorcides 44. 52
Phryges vel Hectoris lytra 26—29
Promethei 3. 9—17. 23. 35. 46. 136
Prometheus Ignifer 9—14
Prometheus *Πυρκαεύς* 9. 44
Prometheus Solutus 9—17
Prometheus Vinctus 1—3. 9—15. 17. 18
Proteus Satyricus 44
Psychostasia 26. 29. 31—34. 135. 137
Semele vel *Ὑδροφόροι* 17—21
Sisyphus *Δραπέτης* 24. 44
Sisyphus *Πετροκυλιστής* 24
Sphinx 15
Supplices 2. 24. 25
Θαλαμοποιοί 24
Toxotides 21. 83
Xantriae 18—20

Anonymi Rhesus 135. 138

Aristophanis Acharnenses 109

Aristophanis Aves 43. 44. 59
Pax 94
Ranae 2. 121
Thesmophoriazusae 21

Enni Eumenides 139
Hectoris lutra 27

Euripidis Alcestis 93. 124. 129. 131—133
Alcmena 85—87. 119. 126. 132
Alcmeo ὁ διὰ Κορίνθου 128
Alopa 87—89. 119. 120. 125
Andromacha 68. 76. 88. 92. 120—125
Andromeda 116—119
Antigona 89-94. 119. 122
Antiopa 75—80. 87. 88. 93. 109. 110. 119. 123. 139
Archelaus 42. 128
Auga 87. 128
Bacchae 2. 17. 20. 57. 62. 83. 84. 110. 123. 124. 129. 132—134. 137
Bellerophon 94—96. 119. 120. 125
Cadmus 98
Danaa 95. 96. 116. 118. 119. 125
Dictys 118
Electra 68. 71. 72. 76. 83. 88. 100. 120—122. 138
Erechtheus 96—98. 119. 120. 125
Hecuba 125. 127—129. 131. 133. 134
Helena 2. 66. 68. 72. 73. 83. 115. 120. 122—125
Heraclidae 127
Hercules Furens 11. 20. 62. 70. 76. 79. 108. 135. 137
Hippolytus Καλυπτόμενος 11. 68. 82
Hippolytus Στεφανηφόρος 11. 41. 66—68. 80. 82. 83. 88. 118. 121. 123. 125. 129—132. 134
Hypsipyla 84. 98—101. 119
Ino 99. 108—113. 119. 120. 125
Euripides Ion 2. 8. 69—71. 83. 87. 89. 97. 119. 121. 129. 131. 132. 134
Iphigenia Aulidensis 73—75. 120. 125
Iphigenia Taurica 2. 37. 64—66. 76. 80. 89. 118. 119. 123. 125
Ixion 96. 121
Medea 124. 126. 127
Melanippa Captiva 11. 101. 102. 104—107. 110. 119
Melanippa Philosopha 11. 85. 87. 88. 101—105. 107. 119. 120. 125
Meleager 107. 108. 119
Oeneus 108
Orestes 76. 80—83. 93. 100. 113. 115. 120. 121. 125
Philoctetes 50
Phoenissae 21. 125. 127
Phrixus 52. 82. 112—115. 119. 121
Rhadamanthys 86
Supplices 6. 42. 68. 69. 89. 119. 120. 123. 130
Troades 3. 21. 125. 129. 130. 132. 134

Naevi Lycurgus 139

Pacuvi Antiopa 139

Plauti Amphitruo 85. 87. 138
Rudens 86

Senecae Agamemno 140
Hercules 140
Medea 140
Phaedra 140
Thyestes 140

Sophoclis Aethiopes 58
Aiax 38. 47—49. 61. 134. 136
Andromeda 52—54. 61. 117
Antigona 2. 89. 90
Cedalio Satyricus 60

Sophoclis Dionysiscus Satyricus 60. 61
Inachus 58. 59. 61
Iphigenia 55
Κρίσις σατυρική 59
Meleager 52. 55. 61
Momus Satyricus 60
Nauplius *Πυρκαεύς* 11
Oedipus Tyrannus 2
Pandora 60
Sophoclis Philoctetes 47. 49—53. 61. 120. 126
Polyxena 58
Syndipni 52. 54. 55. 61
Tantalus 58
Thamyras 57. 58. 61
Trachiniae 21
Triptolemus 55—57. 61
Ulixes *Ἀχανθοπλήξ* 11

Corrigenda

P. 23 v. 21 *lege* paraturum.
p. 46 v. 7 *lege* quae fabulae . . agebantur.
p. 54 v. 3 *lege* fabulae.
p. 62 v. 13 *lege* machinae.
p. 69 v. 21 *lege* consilia.
p. 74 v. ult. *lege* Iphigeniae.

CIRCULATION DEPARTMENT

BL 25 R37

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

Bd.8
Heft 3

CIRCULATE AS MONOGRAPH

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY